




PRAEP. PROV. FRANC.
SIGILL.
IHS



GLORIA POSTHUMA SOCIETATIS JESU.


PARS PRIMA.

ROMAE MDCCCXIV.

APUD FRANCISCUM BOURLIE'

SUPERIORUM PERMISSU.




DOM. S. ALOYS. JERSEIENS. S.J.
IHS

POSTERORUM AEQUITATI.

RAIMUNDUS DIOSDADO CABALLERO.

Cum celeberrima Iesu Societas praeclaram, quam de se ortu primo suo, atque aetatis etiam flore per Universum terrarum Orbem pepererat, eandem sine imminutione famam moriens apud homines reliquerit; rem haud oppido inutilem facturum me censeam, si nonnulla quasi delibando colligam, quae ad ejusdem Societatis interitum attinere viderentur. De rebus dudum a Societate gestis plurimae per omnium manus circumferuntur historiae, et a domesticis, et ab alienis conscriptae, quas sua quisque libidine possit adire. De Societate vero moriente, fatoque defuncta haud facile multos reperias scriptores, qui eius mortis casus vel leviter describant. Iniquum profecto censeretur a posteris initia Societatis, et progressus cum stupore legentibus, extrema si ejusdem fata iisdem invidi taceremus. Socii praeterea ipsi, siqui supersunt adhuc, praeclarum ni fallor fructum capient in animi aegritudine levanda, gestis Societatis extinctae legendis: recreabuntur quidem Societatem viventem cum mortua conferentes: Eosdem videbunt virtutis fructus, eandem doctrinae opinionem, et eundem ubique a populis honorem. Hanc ob rem lucubrationem istam placuit *Posthumam Societatis gloriam* appellare. Siqui fuerint, Iansenianos puta, Incredulos, adulterinosque politicos, atque aeque sordidi gregis homines, aegre, qui ferant illustrem hujus inscriptionis magnificentiam, consuant per me isti malo suo genio *Posthumam Societatis infamiam*. Sed illos vehementer obsecro, ne mendacia, ut illis mosfuit sempiternus, sed vera nobis efferant. Veritatem ne a pestiferis istis,

ac mendacissimis hominibus expectare unquam licuit?

Vobis, Posteri, commentariolum hocce reliquimus, quod candori vestro, vestraeque integritati quin gratissimum futurum sit, minime dubitamus. Neque vobis livor, neque invidia, neque simultates ullae cum Sociatate fuerunt; quibus profecto vitiis nonnulli, qui Societatem noverunt, turpius quam homines decebat ingenuos, se contaminarunt. Uni tibi, Posteritas, universa Societatis munera venient. Non Illa Viros Principes, ac Règes, ut antea benevolos, atque attentos Auditores in concionibus sacris habebit: non illorum conscientiae sacrum Societas judicem aget: non Juvenes nobiles in Collegiis pietate, et bonis artibus imbuet: Non Episcopos sibi faventes, atque ejus opera in concionando, Fidelium confessiones excipiendo, et docendo utentes illa recensebit: non illi Academiarum gubernatio mandabitur: non denique ob doctrinae, et probitatis opinionem gratia apud populos valebit. Ad te honores omnes manabunt: iccirco de extincta Societate aequam sententiam ferre, ejusque gloriam posthumam graviter alendam tibi fidenter commendamus; cum integrum tibi, Posteritas, maneat dicere *Mihi Galba, Otho, Vitellius, nec beneficio, nec injuria cogniti*. Cor. Tacit. lib. 1. §. 1.

Hoc etiam te, sapiens Posteritas, obsecro, ut si Societas ex extinctione resurgat, et in integrum restituatur, Sodales resurgentes moneas alteram decursu duorum, aut trium saeculorum subituros esse extinctionem, si imitantes eos, qui primam subierunt, ministeriis apostolicis exercendis, erroribus depellendis, incredulitati oppugnandae, vitiis, moribusque corruptis extirpandis, aeternae hominum saluti procurandae, ac Religioni Christianae tuendae, et amplificandae impigram, sedulamque operam praestent. Haeresis obstinatio, invidiae malignitas, morum improbitas, Sophistarum incredulitas, Administrorum

calliditas Principum candore abutentium omnem conatum suum in Societatis perniciem parabit. In secunda ergo extinctione Jesuitas Posteritas, hortare, ut praesto sint tibi ad secundam *gloriam posthumam* edendam, cui haec nostra prima exemplo haud inutili esse potest.

Non pauca decrevi prisca cum novis contexere, quia licet Societatis interitum antecesserint, ad gloriam ejusdem posthumam confirmandam summopere facere videntur; eorumque recordatione afflicti Sodales jucundissime levabuntur. En excelsas *gloriae posthumae* bases, quas omnes in hac prima parte exibeo, sed in alias etiam partes distribuandas.

1. A dignitatibus, et muneribus ad Iesuitas extinctos delatis.
2. Ab honoribus Iesuitis vita functis decretis.
3. A piis Iesuitarum institutis, etiam post abolitionem conservatis, et aliis ab iisdem inventis.
4. A libris Iesuitarum sacris, praecipue Catechismis post expulsionem, et extinctionem recusis.
5. A restitutione violatae famae, quam Societatis inimici publice praestiterunt voce, vel scriptis, vel factis.
6. Ab obedientia a Praedicatoribus Apostolicis Sinensibus praestita Benedicto XIV. ritus Sinenses damnanti.
7. A Coloniis Rossiacis, et Parmensibus.
8. A doctrina Iesuitarum nullomodo damnata a Clemente XIV. neque a Pio VI, neque a Pio VII. inclyto hodiernae impietatis debellatore.
9. Ab infelici exitu Galliae Senatuum, Carvalhi etc.
10. A libris contra Iesuitas vulgatis.
11. A praedictionibus Divae Theresiae, et aliorum de Societatis duratione ad Mundi exitum.
12. A detrimendis illatis scientiis, artibus, moribus,

ac Religioni ex Societatis extinctione.

13. Ab exiguo incremento Ordinum Religiosorum post extinctam Societatem.
14. A muneribus, quae Iesuitae in expulsione, et extinctione exercebant.
15. A viris illustribus, qui in expulsione, et extinctione florebant.
16. Ab officiis Religioni, ac Principibus a Societate praestitis usque ad expulsionem.
17. Ab Illustrium Virorum in Societatem elogiis.
18. Ab amore Societati a Viris Sanctis demonstrato.
19. A Tyronum in expulsione in Societatem amore.
20. Ab ipso Decreto expulsionis Hispanicae.
21. A ratione qua Aula Hispanica usa fuit in expulsione erga Socios praecipue illustriores.
22. A reverentia, et amore Societatis in Familiam Regiam Borboniam.
23. Ab obedientia Sociorum praestita Regio decreto exilii.
24. A testificationibus Episcoporum in laudem Iesuitarum ad Hispaniam redeuntium.
25. Ab ardore numquam remisso defendendi immunem a peccato originali Deiparam B. V. Mariam.
26. A portentosis fabulis, de Rege Nicolao, de Conspiratione Lusitana, thesauris reconditis etc. eventu ipso dissipatis.

BASIS PRIMA.

EX DIGNITATIBUS, ET MUNERIBUS AD EXJESUITAS DELATIS.

Cum mentem intendo in munera, et honores, quibus Iesuitae extincti affecti sunt, illico in memoriam redit illud Davidis vaticinium, *Exultabunt ossa humiliata*. Ossa vere humiliata Iesuitae fuerunt, dum Societatis corpus, quod adeo vegetum, succoque vitali, et salubri copiosum in Ecclesia florebat, uno extinctionis ictu, exanime cadaver extitit. Si enim Administri Summi Societati infamiam inurere conantes, eam furentibus suis artibus extinxerunt, Divini vero Numinis benevolentia, infamia in eosdem retorta, Societatem ob munera eidem commissa, magna gloria cumulavit. Ex Iesuitis extinctis multi electi fuerunt Episcopi, multi Canonici, multi Rom. Pontificis, et Episcoporum Theologi, multi Virginum Deo Sacrarum Directores, Collegiorum et Seminariorum Rectores, ac Magistri, Nubilium puellarum sodalitatibus Praepositi, Concionatores, Iuvenum Nobilium Institutores privati etc. Uno verbo, quidquid est amplioris auctoritatis, dignitatis, diligentiae, curae ac sapientiae in Ecclesiae muneribus ad Iesuitas abunde delatum est. Nonnulla singillatim, licet breviter persequamur, ne oratio nostra, ut ampullosa rejiciatur. Ex Episcopis, qui raro in Societate vivente, ob ejusdem solemne votum dignitates omnes respuendi in amplissimo hujus honoris gradu collocati videbantur, post extinctionem possum recensere sequentes mihi cognitos, multis aliis omissis, qui meas ad aures nondum pervenerunt.

EPISCOPI.

Illustrissimi ac Reverendissimi Domini.

Franciscus Benincasa, ex Provincia Veneta. Iure a viro isto clarissimo exordium sumo, quia tanto et amplius ejusdem honor Divino Numini curae fuit, quanto Societatis hostes eum ignominia afficere contenderunt. Idem ipse fuit qui Clemente XIV. Pontifice ob falsam suspicionem de quadam littera gallice conscripta ad Archiepiscopum Moguntinum, qua rogabatur ne Decreto extinctionis aditum in Diaecesin Moguntinam permitteret, a Lictoribus in platea Divi Caroli meridiano Sole immenso populo inspectante fuit captus, vinctusque recta ad molem Hadrianam deductus die 25. Dec. Jesu Christi Natalitiis sacra anno 1773. Idem ipse an. 1775. postulante Mutinensium Duce, renuntiatus fuit, volente Pio VI, Episcopus Carpensis.

Ioannes Benislawski, ex Provincia Lithuaniae, vir summo loco natus doctrina, et vitae probitate eximius; postquam extraordinariam Legationem a Catherina II. Russorum Imperatrice ad Pium VI. missus praeclarissime obierat, Petropoli 3. Feb. 1785. per Apostolicum Legatum Varsaviensem Archettum inauguratus fuit Episcopus Gadarensis, destinatusque Coadjutor, et Successor Archiepiscopo Mohiloviensi. In hac sacra augustaque cerimonia dona de more impertiri solita Exteri Legati perseipsos recens inangurato largienda poposcerunt; ea quidem ratione, ut Legati Hispanus, et Lusitanus cereos, Gallus, et Viennensis vinum, Neapolitanus, Sardusque panem offerrent.

Ioannes Carrol Anglus a Sacerdotibus Catholicis Reipublicae Anglorum Americanae electus fuit Episcopus, qui hujus rei causa an. 1789. Legatos ad

Pium VI. miserunt, quorum votis benignissime Pontifex annuit. Fuit primus in hac Republica Episcopus, sedemque suam Baltimore in Marylandia locavit; deinceps ab eodem Pontifice creatus fuit Archiepiscopus, Metropolitanus ac Legati Pontificii juribus exornatus (Vide *Precis historique de la Vie, et du Pontificat de Pio VI.* Auctore Blanchard).

Leonardus Neale Anglus a Pio VI. renuntiatus fuit Episcopus Gortynae, et Adjutor datus Episcopo Baltimorensi.

Franciscus Carolus Palma, nobilissimus Hungarus ex Provinciae Austriae a Pio VI. creatus fuit Episcopus Colophoniensis, Archiepiscopi Colocensis in Episcopatu Suffraganeus.

Alexander Alessandretti ex Provincia Veneta; primum renuntiatus fuit Vicarius Capitularis Fori Cornelii; deinceps Visitator Apostolicus Commacchi; denique Episcopus Maceratensium.

Antonius Schmidt ex Provincia ad Rhenum Superiorem magnum apud Iurisprudentiae Ecclesiasticae magistros Nomen, post varia extincta Societate illustria munera praeclare administrata, electus fuit Episcopus Suffraganeus Spirensis Episcopi.

Sigismundus Hochenwart ex Provincia Austiae, primum renuntiatus fuit Episcopus Fani Sancti Hypolyti; anno deinceps 1803. translatus fuit ad Archiepiscopatum Vindobonensem. In ejus honorem, et commodum Pius VII. honorificas dedit litteras ad Imperatorem Austriacum, quibus eximie laudat Sigismundum a doctrina, et pietate: et cum eximit a Datariae taxis.

Dominicus Manciforte ex Provincia Romana, aliquot muneribus Ecclesiasticis cum laude obitis, denique a Pio VI. datus est Faventinis Episcopus.

Iosephus Grimaldi ex Provincia Mediolanensi renuntiatus fuit Episcopus Pinarolii, deinceps ad infu-

las Eporedianas (Iurea) apud Pedemontanos evectus.

Alphonsus Marsili ex Provincia Romana ad Archiepiscopatum Senensem evectus est a Pio VI. an. 1792.

Joannes Andreas Avogadro ex Prov. Veneta, renuntiatus fuit Episcopus Veronensium, quos doctrina, et pietatis exemplis apostolice nutrivit. Sed cum Iesu Societas in regnum Neapolitanum fuisset invecta, illico Pium VII. litteris fervidissimis oravit, ut se ab Episcopali dignitate, exuere permitteret, quo Societati se restitueret. Voti compotem licet aegerrime Pius VII. reddidit.

Philippus Ganucci ex Provincia Romanas Infulis Cortonensibus fuit exornatus.

Paulus Maggioli ex Provincia Mediolanensi anno 1800. creatus fuit Episcopus Albigaunensis in Liguria.

Hieronymus Durazzo, Patricius Genuensis, Apostolicis expeditionibus, quas Missiones appellant, clarissimus, post extinctam Societatem designatus a Pio VI. fuit Foroliviensibus Antistes; sed vir singulari modestia praestans tantum honorem sibi delatum constanter recusavit.

Giulius Caesar Pallavicino, ex Provincia Mediolanensi, die 30. Sept. 1804. consecratus fuit Romae Episcopus Sarezanensis.

Hieronymus Pavesi Apuae natus 1. Augusti 1739. Societati se adjunxit in Provincia Romana 31. Octob. 1756. fuit creatus Episcopus Apuanus 24. Julii 1797.

Episcopis adjungere liceat et Joannem Bonneau, qui destructa Societate in Gallia, Vicarius fuit Generalis Archiepiscopatus Lugdunensis, et Franciscum Herz, quem Pius VI. Vicarium Apostolicum confirmavit rogante Friderico Augusto Saxoniae Duce, cui erat a Confessionibus: et Raymundum Rospigliosi Vicarium Veliternum.

CANONICI.

Nauseam profecto Lectoribus afferrem, si Iesuitas omnes, quos Canonicorum Collegia in suum ordinem receperunt, enúmerare aggrederer: Satis erit, illud dicere, quod verissimum est, nulla Collegia, praesertim ex conspicuis Iesuitis caruisse hoc illustri Sacerdotio decoratis. Oculos conjice in Lateranensem Romanam Ecclesiam, quae antiquitate, ac dignitate Mater jure appellatur omnium Orbis Ecclesiarum; in ea reperies nostrum Carolum Aloisium Mattei, Canonicum; in Urbe veteri Ignatium Vaggi, et Bartholomaeum Dracopoli: in Mantuana Iosephum Medici: in Tiburtina Vincentium Pusterla: in Anagnina Antonium Diaz: in Mediolanensi Aloisium Stanislaum Litta: in Ferrariensi Alphonsum Muzzarelli: in Bergomensi Aloysium Mozzi: in Senensi Iosephum de Novaes: in Anconitana Ioannem Franciscum Macilenti: in Veliterna Raymundum Rospigliosi: in Florentina Franciscum Puccinelli et duos germanos fratres Franciscum, et Philippum Ganucci, et Vincentium Bartoli: In Novariensi Franciscum Gemelli: in Veronensi Petrum Paletta: in Patavina Marcum Regulum de S.Bonifacio: in Colononiensis Ioannem Carrich et Hyacinthum Berg: in Parisiensi Augustinum Barruel: in Sarlatensi Delfau: in Firmana Michaelaem Catalani: in Vindobonensi Adamum Heidfeld: in Strigoniensi Ioannem Ivancsics etc. Non est cur Lectores amplius morer in re adeo manifesta.

Alexandr

ROMANI PONTIFICIS, ET EPISCOPORUM THEOLOGI.

Nollem in hoc loco meum judicium proferre de maximo splendore, quem gloria posthuma Societatis sibi ex hoc capite collegit. Interrogentur potius Ian-

seniani, et eorum fautores, quae sit illorum sententia, cur in tanta theologorum copia, qua cunctus Ordo Ecclesiasticus Romae redundat, Romanus Pontifex ex Iesuitis extinctis sibi theologos deligat. Minime desiderantur in Urbe clari Theologi a Ludovici Molinae dogmatibus longe abhorrentes: neque desunt alii, quibus exosus est Probabilismus: et nihilo secius Iudex Controversiarum Supremus Rom. Pontifex Molinae sectatores et Probabilismi propugnatores, adjutores voluit, et consiliarios in rebus fidei, ac morum definiendis adhibere. Ito nunc Ianseniane, et tuam praedica, non vero Augustini gratiam, simulatamque magnifica morum severitatem: sed cessa tamdem a detrectandis pervicaciter sanctissimis Romanorum Pontificum decretis. Omissis ergo Pontificibus Clemente XIV. superioribus, hoc eodem Pontifice, res prorsus miranda, Noster Iacobus Angeri hoc splendidum Theologi Pontificis munus retinuit. Pius VI. nostrum Hyacinthum Stoppini in Angeri vita functi locum suffecit. Dum hic e vivis excessit idem Pontifex Ioannem Vincentium Bolgeni Theologum Pontificium renuntiavit. Cum Bolgenus postea tanto muneri nuntium dedisset, idem munus jussit Pontifex subire nostrum Iosephum Marinowic, quo etiam obeunte noster Matthaeus Giorgi Pii VI. decreto eandem provinciam suscepit. Pius VII. vestigia Pii VI. premens Giorgii ad superos translati locum occupare decrevit nostrum Alphonsum Muzzarelli, qui anno 1813. Parisiis Mense Majo ad beatam immortalitatem demigravit. Idem SS. Pius VII. Theologum quoque suum vivo Muzzarellio, nostrum Faustinum Arevalo constituit, qui hoc anno 1814. tanti muneris partes laudabiliter explet. Iure mirabitur Posteritas, ex Societate, cujus doctrinam conati sunt Societatis hostes turpibus notis inurere, electos fuisse a Pontificibus, qui eisdem in rebus Theologicis ad fidem,

et mores spectantibus sedulo inservirent suis consiliis, suffragiis, et lucubrationibus.

Summorum Pontificum exemplum Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos permovit, ut etiam Iesuitas in quaestionibus theologicis, moralibus, et Canonicis excutiendis Consultores adhibeant, quin mali quidquam metuant a Scientiae mediae, et Probabilismi defensoribus. Innumeri fere recensendi erant, qui ex Societate homines hoc munere perfuncti sunt. Nonnullos quos ego novi, laudabo. Carolus Cattani Theologus Episcopi Cesaenatensium fuit: Peregrinus Colombani Episcopi Britinoriensis: Aloysius Nogarola Episcopi Ariminensis: Bonifacius Pontiroli Episcopi Faventini: Ioan. Franciscus Brognonico Episcopi Forocorneliensis: Scipio Serenus Gaspari Episcopi Mutinensis: Leonardus Cominelli Cardinalis Episcopi Patavini: Franciscus Pelandi et Iosephus Antonius Masdeu Archiepiscopi Ravennatensis: Carolus Berti Episcopi Regiensis: Franciscus Belleni Episcopi Vicentini: Iosef Farina Theologus Reipublicae Genuensis: Raymundus Franciosi Episcopi Savonensis: Petrus Antonius Zanoni Ioannis Bap. Donati Episcopi Cerviensis: Dominicus Guidi Episcopi Æsini Odescalchi.

Hic finem facerem ne Lectoribus fastidio sim, Iesuitas recensendo, qui in ipsa Societatis extinctione hoc munus maxime probantibus Episcopis obibant; sed Hispani Soc'i me vocant, ut aliquorum saltem mentionem inferam, ne Nationi Hispanae ingratus videar. Itaque nostri Didacus Fuensalida Theologus fuit Gregorii Chiaramonti Episcopi Imolensis, quem nunc Summum Ecclesiae Pastorem veneramur: Emmanuel Iturriaga Episcopi Fanensis: Xaverius Perotes, Episcopi Cardinalis Ancònitani, et Episcoporum Carpensis, et Regiensis: Iosephus Erce Cardinalis Archiepiscopi Ferrariensis: Ioachimus Amorenea Presulis Romani, et Rotae Auditoris Strasoldi: Alphonsus

Perez de Valdivia Episcoporum Eugubini, et Fanensis : Ioannes Aguirre trium Episcoporum Tiburtinorum Natalis, nempe, Chiaramontii, et Nanni : Franciscus Ocampo Episcoporum Comachiensis, et Foroliviensis.

Huic summae benevolentiae Episcoporum in Iesuitas adjungenda erat ab iisdem honorifica electio Iesuitarum in comites, et adjutores in Dioecesibus lustrandis. Nunc memini Illustrissimum Franciscum Rodriguez Chico Episcopum Turolensem sibi comite usum fuisse Ignatio Garcia ex Provincia Aragoniae : Illustrissimum Augustinum Gonzalez Pisador Episcopum Ovetensem nostro Laureano de Rivera ex Provincia Castellana : Illustrissimum Didacum del Corro Archiepiscopum Limanum nostro Iosepho Ignatio del Rio ex Provincia Peruana : Illustrissimum Argandoña Episcopum Charquensem nostro Hieronymo Boza ex Provincia Chilensi : Illustrissimum Franciscum Gregorium Campos Episcopum Pacensem nostro Ioachimo Montes, qui hac die 27. Novemb. 1813. Romae degit, ex Provincia Peruana : Illustrissimum Lardizabal Archiepiscopum Angelopolitanum nostro Andrea Garcia ex Provincia Mexicana : Illustrissimum Emmanuelem Alday Episcopum Iacobaeum (Santiago de Chile) nostris ex Prov. Chilensi Honuphrio Martorell, Thoma Olazo, Francisco Zavala, et Francisco Rios, qui nunc in Sicilia degit. Una cum his Illuñis Praesulibus genere, doctrina, et virtute clarissimis, plures alios, qui tanto honore Iesuitas affecerunt, libentissime appellarem, ut meritam debitamque gratiam per magnae eorum beneficientiae redderem : sed Iesuitarum superstitum paucitas, et eorum a senio effaeta memoria ab hoc debito officio me vehementer invitum deterrent. Ne me Lector quaeso, reprehendas, quod neutiquam, quos Episcopi Examinatores Synodales, et in eorum Aula Episco-

pali casuum Decisores, ut vocant, Iesuitas constituerint recenseam: res esset immensa. Ad alia ergo munera Iesuitis commissa transeat oratio.

VIRGINUM SACRARUM CONFESSIONIBUS EXCIPIENDIS IESUITÆ CONSTITUTI.

Cum in Virginibus Deo sacris pie religioseque dirigendis maximam Ecclesia Catholica diligentiam posuerit, ne vel errorum maculis faedentur, vel ab antiqua disciplina, et institutione desciscant, aut in ea saltem tepescant; ideo homines moribus probatissimos, et doctrinis moralibus instructos harum Virginum conscientiae arbitros Episcopi designant. Quantus hujusmodi fuerit Iesuitarum numerus, etsi vellem, cum tot tantique fuerint, et tempore praesenti sint, neutiquam possem referre. Iam ab initio destructionis Societatis in Gallia Praestantissimus ille Parisiensis Archiepiscopus Christophorus Beaumont, clarissimum Ecclesiae Gallicanae decus nostrum Rousseau Directorem constituit, illustrium Virginum a Visitatione, et nostrum etiam Villeoroin Virginei etiam Collegii de *Bellechasse* dicti. Noster quoque Thomas Corret a Superioribus praefectus fuit faeminis domus Regiae *pueruli Iesu* (Del'Enfant-Iesus) nosocomiis inserviendis, puellis nobilibus christiane, ac politice instituendis fructuosam Parisiis operam dantibus. Innumeras opus esset percurrere Dioeceses in Gallia, Germania, Polonia, et Italia in quibus hanc praeclarissimam Provinciae Episcoporum jussu extincti Iesuitae administrarunt. Una Roma tot exempla mihi suffragatur, ut supervacaneum sit per alia loca peregrinari. Collegiis Romanis Ursolinarum praescriptus fuit conscientiae arbiter noster Benedictus Bo: S. Marthae Ioachinus Usòn: S. Clarae Gaspar Ianer: Sancti Urbani Franciscus Traversi: Martinus

Irizar, et Damasus Pren: S.Ceciliae Felix Arana, et Bernardus Zarzosa: S.Susannae Ioannes Carrera: Barberinarum Hidelphonsus Mas, et alii.

Etsi brevitati nimis fortasse studere videar, minime praeterire licet nostrum Philippum Gomez Vidaurre, Chilensem. Cum in urbem Iacobaeam (Santiago de Chile) ex exilio Italico fuisset appulsus anno 1800, singularibus honoribus ab Episcopo Francisco Iosepho Maràn viro doctrina, et pietate spectatissimo fuit affectus Illico amplissimus Antistes potestatem Vidaurreo fecit concionandi, et confessiones excipiendi, etiam Virginum Sacrarum; quae cum omnes eum conscientiae arbitrium expeterent, ut votis omnium satis Episcopus faceret, voluit Vidaurreum ad duas etiam horas post aeris campani sonum pro Angelica salutatione vespertina Virgines confitentes audire; raro, aut verius dicam nullo antea edito hujusmodi facultatis exemplo.

Istis jure adjungendos censeo moderatores puellarum nubilium, quae eodem sub domicilio, certam vitae rationem tenent, donec in matrimonium sint collocatae; quarum gubernatio, rem haud incredibilem dicam, magis est perardua, quam Virginum Sacrarum, cum ardens de nuptiis cogitatio illas crebro verberet, ceu ut cum Graecis loquar, misere colaphizet; qua propter probatissimum, solertissimumque Rectorem requirit. Nihilominus testis est Roma Iesuitas Hippolytum Casafonda, Ioannem Antonium Nava et Gasparum Ianèr probante Summo Pontifice, hoc tanti negotii munere fuisse decoratos. Moderatur ille Collegium Divinae Providentiae *Conservatorio di Ripetta* italice dictum: iste Collegium puellarum Divi Clementis, quas *Zoccolette* vocant; tertius vero Collegio puellarum Divae Euphemiae praefuit.

Propter facti raritatem memorandus est noster Marianus Rodriguez Adjutor in re domestica, qui a

Cardinali Mattei Archiepiscopo Ferrariae constitutus est, maxima cum facultate, Moderator aliquot Virginum sacrarum in conscientiae rebus; cujusmodi fuit noster etiam Adjutor Ferdinandus de la Cruz priscis temporibus, qui conscientiam moderabatur Ven. Mariannae a Iesu Paredes, et Flores, de cujus Apotheosi agitur Romae.

Quis vero recensebit innumeros illos ab Episcopis designatos, ut populi Christiani confessiones excipiant omnibus in Provinciis, et urbibus. Te infer, quaeso, in templum Iesu sacrum, quod ad Romanam Professorum domum pertinebat; Hoc uno in templo, quid alia referam, Fidelibus expiandis constantem, egregiamque operam quotidie praestant nostri Ocampo: Villaplana: Sanchez: Pegna: Gonzalez: Parada: Amaya: et Ganuza. De Hispania vero id unum dicam, ne me quisquam ingrati animi coarguat, ex quo caetera conjicere potes. Doctissimus, et religiosissimus Episcopus Gaditanus Antonius Martinez de la Plaza Iesuitis in sua Dioecesi post exilium Italicum versantibus amplissimam facultatem dedit Fidelium confessiones audiendi. Operae pretium judico brevissimam, sed humanitatis plenam ejusdem praeclarissimi Antistitis epistolam exscribere, quam die 4. Martii an. 1800. dedit ex Portu Regio prope Gades ad nostrum Didacum Iribarren, qui suo, et communi Iesuitarum nomine pro hac facultate concessa maximas egerat gratias: *Ex portu Regio die 4. Martii; an. 1800. Domine mi, multum colende. Magna cum observantia accepi tuam Epistolam scriptam eadem die 4; in qua tuo, et communi Iesuitarum nomine, quibus facultatem confessiones audiendi tribui, mihi referuntur gratiae: hae vero neque mihi debentur; neque illas admitto; quia revera tota utilitas, totumque lucrum ad me venit ex supplemento hujusmodi operariorum. Tibi placeat, haec verbis indicare quam amicissimis, omnibus, et singulis*

Iesuitarum, qui prudentia, qua solent, agentes, Tibi uni omnium nomine scribendi munus imposuerunt. Certi sint omnes, securique omnino sint, unum inter eisdem amicissimos amicissimum ex animo esse Tui servum etc. (Puerto *R* 4. de Marzo de 1800. Muy Señor mio y de mi mayor estimacion: con ella he recibido su carta de Ud de hoy 4, en la que por si, y a nombre de los demas Señores, a quienes despache licencias de confesar, me dan gracias, que no se me deben, ni admito; parque en verdad es mio el interes en el augmento de tales operarios. Sirvase Ud de decirlo asi de mi parte con muy afectuosas espresiones a cada uno de esos Señores, que procediendo discretamente, segun su costumbre, han reducido sus voces a una; y esten todos en la seguridad de que entre sus mas aficionados lo es muy de veras este afecto Servidor, y Capellan de Ud. Q. S. M. B. Antonio Obispo de Cadiz. Sig. D. Diego Iribarren).

CONCIONATORES SACRI.

Si Praesulum Ecclesiae approbatione, ac jussu Exjesuitae conscientiis moderandis, etiam Virginum Sacrarum constituti fuerunt, facile quisquam intelliget, eorundem Praesulum voluntate destinatos eos fuisse, ut populum Christianum vera Christi doctrina imbuerent, a vitiis revocarent, et ad virtutem omnem allicerent. Usitata brevitate me expediam, gratiis quam maximis habitis tantae Episcoporum benevolentiae, et praestanti quam retinent de extincta Societate existimationi quam publice testantur. Istud est quam verissime ponendum, nullam esse in Italia Dioecesim quam Exjesuitae ibidem versantes suis non illustrarint concionibus, et ad morum emendationem permoverint. Testis est Ferraria, quae extincta Societate, per annos fere triginta Exjesuitas Oratores habuit ad vernum

40. dierum jejunium, veluti Trentos, Saracinellos, Giorgios etc. Bononia attentas aures praebuit nostris Oratoribus Scarellae, Ioppi, Rivarolae, qui praeterea pias Divi Ignatii commentationes populo Bononiensi tradidit. Ravenna, Camerinum, et Faventia fervidis Iosephi Antonii Masdeu Orationibus fuerunt ad pietatem inflammatae. Pro reliquis Dioecesibus una Roma loquatur. Una Urbis vox reliquarum Urbium voces, plusquam satis est, supplere valet. In sua rostra Roma vidit, et videt adhuc plurimos Exjesuitas ascendere. Apellabo tantum Giorgios, Avogadros, Muzzarellios, Gentilinios, Pannizzonios, Carluccios, Saracinellios, Pegnas, Ocampos, Piancianios, Gonzalios, Medicios. De oratoribus Exjesuitis in aliis Regionibus, etsi exploratissimum sit, eos magno fuisse numero, non eam cognitionem habeo, ut illos possim distincte nominare. Novi tamen nostrum L'Enfant tum Parisiis, tum Vindobonae ad aulas Regiam, et Caesaream conciones habuisse. Noster quoque Ill. Avogadrus Viennam Austriae fuit vocatus sermone italico jejunio quadragenario concionaturus.

COLLEGIORUM RECTORES.

Tot, tamque manifestis benevolentiae significationibus praeclarissimam aliam Sacri Ecclesiae Praesules adjecerunt. Minime contenti muneribus tanti ponderis Exjesuitis commisis, eisdem voluerunt publicam Iuventutis institutionem commendare, et Seminariis Tridentinis moderandis eosdem praeficere, in Reipublicae praesertim Sacerdotalis utilitatem. Novimus itaque Iosephum Rios praefuisse Seminario Tiburtino, Bernardum Zarzosa Signino, Andream Galan Anagnino, Franciscum Villalobos et Alphonsum Perez Eugubino, Ignatium Iulian Verulano, Petrum Cordon Centino, Iacobum Basile Veliterno, Vincen-

tium Rossi Setino, Iosephum Pons Senogalliensi, Ioannem Franciscum Sandoval Tiphernati Tiberino, Petrum Segers Ferentino agri Romani. Quid memorem nostrum Ioannes Carrich, quem extincta Societate Archiepiscopus Coloniensis, et Imperii Elector renunciavit Gymnadis Tricoronatae Regentem, Almaeque Universitatis, ac generalis studii Coloniensis Rectorem? Sed quid mirum hos, et plures alios Antistites, quos ne fastidiosus sim praetereo, hanc maximi momenti Provinciam Exjesuitis decrevisse; cum ipse Antistitum Princeps Pius VI, Pontifex Maximus Nostrum Alexandrum Cerasola Seminario Sublacensi ab eodem erecto praefecerit, et nostrum Franciscum Antonium Zaccariam Institutorem constituerit Academiae Ecclesiasticae Romanae, in qua nobilissima Iuventus disciplinis Sacris eruditur ad summos Ecclesiae gradus promovenda, et faecundissimum est Seminarium Praesulum, Legatorum, et Cardinalium. Noster quoque Iosephus Maria Sozzi eandem amplissimam Provinciam prudenter administrat, vicariam operam praestans Presidi Vincentio Brenciaglia Romano Prelato.

NOBILIUM ADOLESCENTIUM INSTITUTORES PRIVATI.

Aequos Lectores habiturum me esse confido, de generali Collegiorum institutione ad privatam nobilis Iuventutis Exjesuitis concreditam transeuntem. Mirabilis, seu potius incredibilis fuit illa Optimatum solicitudo, et cupido in expetendis Iesuitis extinctis pro suis liberis religionem, mores, et artes edocendis. Ex hac fere immensa sylva, aliquot saltem Iubeat documenta proferre. Ferdinandus Austriacus Mediolanensium Gubernator Nostrum Andream Draghetti suis liberis praeceptorem dedit. Hetruriae Regina Maria Ludovica Borbonia in lingua Hispanica Carolum Ludo-

vicum filium Hetruriae Regem docendâ nostrum Antonium Cobos elegit.

Emmanuel de Leo multa mihi amicitia conjunctus, reversus in Hispaniam anno 1799. ex Italia, ubi Comites Antonellos bonis moribus et artibus instituerat, Discipulos Barcinone iisdem artibus imbuendos habuit filios Marchionis de Ginella, et filium Comitis de Sancta Coloma ex primis Hispaniae Optimatibus, quos *Grandes primae Classis* appellant. Ipsa Aula Romana inspectante, imo plaudente nostri Aloisius Felici Discipulum habuit Principem Mattei, Michael Garcia Principem Spada, Zenzano Principem Altieri, Bartholomaeus Pou Ioannem Despuig, Cardinalis Antonii Despuig Sororis filium, Joannes Franciscus Sandoval Marchiones Costaguti, Rodriguez Marchionem Patrizi, Nicolaus Lagua Marchionem Papazurri, Dominicus Guidi Duces Odescalcos, Franciscus Blasco Comitem Mariscotti, Ferdinandus Moreno Comites Montani, pluresque alii, quibus accensendi erant innumeri, quos Patricii Veneti, Genuenses, Bononienses, Ferrarienses etc. suis filiis Institutores praefecerunt. Sed hac de re in medio conspectu posita satis erit ista levis significatio.

Praeter dictos honores, laudataque munera Iesuitis commissa, alia quoque memoranda sunt, quae cum difficilia sint, ut certum in ordinem commode digerantur, illa permixte, quasi miscellaneum opus, recensebo. Laurentium Hervas Summus Pontifex Pius VII. suae bibliothecae Quirinali praefectum constituit, pariter Aula Caesarea Michaelem Denis bibliothecae imperiali Viennensi, Cardinalis Borbonius, Archiepiscopus Toletanus, et Hispalensis, Patruelis frater Caroli IV. Hispaniarum Regis nostrum Alcorizam ex Italico exilio in Patriam restitutum praefectura suae ditissimae Bibliothecae Toletanae decoravit. Parem praefecturam detulerunt Ferrarienses Luciano Gallisa, et

Costa, Bononienses Antonio Magnani, Genuenses Aloysio Gaspari Oderico, Mutinensium Dux Hieronymo Tiraboschi, Princeps Altieri Vito Giovinnatio, Princeps Barberini Ioachimo Pla. Georgium etiam Pray, et Carolum Wagner Aula Caesarea Bibliothecae Budensi praefecit. Christianus Mayer renunciatus fuit Consiliarius Ecclesiasticus ab Electore Palatini Rheni; Antonius Schmidt a Principe Episcopo Spirensi; Franciscus Lorentz a Francisco II. Imperatore Consiliarius, ut vocant, Status, et intimorum colloquiorum; Mathias Schönber Consiliarius Ecclesiasticus ab Electore Palatino, et Bavarico: Ignatius Schiffermiller Consiliarius Regius Caesareus ab Augusta Maria Theresia Austriaca: Hieronymus Tiraboschi a Mutinae Duce: Iosephus Walcher ab Aula Imperiali: ab eadem Sigismundus Gruber: Benedictus Volpi ab Aula Caererea designatus fuit Censor librorum Dogmaticorum in Republica Veneta. Maximilianum Hell Aula Austriaca praefecit speculae, sive turri Astronomicae Viennensi; eidem Poloniae Rex dono misit numisma aureum magni ponderis, et Daniae Rex Christianus VII. invitavit, et magnifice excepit Hellium, ut transitum Veneris per Solis discum observaret. Rogerius Iosephus Boscowic a Britannis in Regiam Academiam Londinensem fuit relatus; et abiisdem invitatus, ut in Californiam transmitteret, transitum Veneris sub Sole observaturus: idem electus fuit a Summo Pontifice ut simul cum nostro Christophoro Maire ditionem Pontificiam perlustraret pro magnitudine, et figura telluris invenienda: Eundem Ludovicus XVI. Galliarum Rex *Directorem Opticae pro Re Nautica* constituit: Idem a Senatu Mediolanensi fuit vocatus ad Mathesin Mediolani tradendam; Eidem denique Gustavus III. Suevorum Rex sui effigiem auro sculptam dono misit. Ioannem Baptista Horvath Aula Caesarea constituit professorem publicum, et Ordinarium in regia

Universitate Budensi recens instaurata. Franciscus Luino ab eadem Aula renunciatus fuit Architecturae Militaris Praeceptor in Scholis Palatinis Mediolanensibus; et Antonius Lecchi Regius Hydraulicus. Aula Hetrusca Aloysium Lanzi praefecit Antiquitatum Musaeo Florentino. Sebastianum Ayala Respublica Ragusina Legatum misit ad Aulam Caesaream Austriacam. Emmanuelem Azevedo Benedictus XIV. Rituum Consultorem, et Socium Academiae Ecclesiasticae, et Liturgicae constituit; et praeclarissimus Patrum Conventualium Ordo in gratiis sibi propriis, privilegiis, et honoribus habendis parem omnino sibi Azevedum decrevit. Ioannem Baptistam Toderini Augustinus Garzoni Legatus Venetus ad Constantinopolim sibi comitem voluit. Eusebium Veiga Sermonettae Dux suae speculae Astronomicae Romanae praefecit. Antonium Villa Universitas Ferrariensis Eloquentiae, et Graecarum, Romanarumque antiquitatum Professorem delegit.

Iosephum Walcher Aula Caesarea Austriaca destinavit ad invisendum, attenteque perlustrandum lacum Rofner-Eise alluvionem, et ruinam agris minitantem, quam magno labore, et industria reparavit: ab eadem Aula renunciatus fuit Navigationis Director, atque Scientiarum Mathematicarum, ac Physicarum. Clementem Bondi Archiduces Mediolanensium Gubernatores comitem, et intimum sibi constituerunt. Carolum Budardi Legatus Apostolicus ad Colonienses etc. sibi in hac legatione difficili a secretis voluit. Leonardum Ximenez Magnus Hetruriae Dux Regium Hydraulicum confirmavit. Petrus Marquez Praefectus fuit Bibliothecae Casanatensi, et creatus Socius Ordinarius Academiae Archeologicae Romanae. Ignatium Szentmartonyi Lusitaniae Rex invitavit, ut Americam peteret terminos inter Hispanos, et Lusitanos definiturus: Quis credat hunc illustrem Virum in exilio Lusitano detrusum fuisse a

Carvalho in carceres S. Iuliani ? Stephanum Schoenwisner Aula Caesarea rei numariae, et antiquitatibus praefecit in Universitate Budensi. Stephanum Cabral ex exilio italico in Lusitaniam reducem Regina Fidelissima praefecit alveo Tagi corrigendo, et ruinis avertendis; iam pridem fuerat idem missus ab Aula Romana ad contemplandum praecipitem fluvii Velini in Narem casum, qui tot malis Interemnates affecit, ut aliquod remedium Cabralius afferret. Iosephum Eckel Aula Caesarea Viennensis Directorem constituit Musaei Numismatici Caesarei, et numismaticae Scientiae in Viennensi Universitate Professorem. Vincentium Giorgi renuntiarunt Veneti Regium librorum Censorem. Fridericus Maria Giovanelli Venetiarum Patriarcha nostros Exjesuitas Iosephum Marinovich, et Carolum Spineda destinavit ad Theologiae Cathedras administrandas, ab eodem Patriarcha erectas, quod munus docendi publicis in gymnasiis Theologiam egregie obierunt iidem usque ad seditionem democraticam, qua Respublica Veneta funditus eversa fuit. Ex opere *La Storia dell'anno* 1798. lib. 3. edito Venetiis sumpto nomine *Hamburgi*. Gregorium Garces Academia Regia Matritensis magno affecit honore edito propriis impensis Gregorii opere de vigore, et elegantia linguae Hispanicae. Sigismundum Gruber Aula Viennensis Navigationis Directorem constituit; et Paulum Mako Assessorem, ut dicunt, Universitatis Budensis. Ioannes Needham Tuberville constitutus est Academiae Bruxellensis Director. Aloysium Gasparem Oderico Genuenses dederunt comitem eorumdem Legato ad Sardiniae Regem pro dissidiis inter utrosque componendis. Ioannes Osuna Pii VII. jussu praeficitur Collegio Sabinorum Romano, et Academiae Religionis Catholicae Socius renunciatur. Ant.Pinazo praepositus est regimini Studiorum Regiorum Mantuae, atque Censor classis Mathematicae. Martinum Poczobut

Stanislaus Augustus Poloniae Rex Equitem Aquilae Candidae creavit, et effigie sua argentea donavit, quam ego vidi Romae apud clarissimum Astronomum Callandrelli. Ioachimum Pla Academia Bononiensis suis Scholis voluit linguae Chaldaicae Professorem. Ivoni Mathurino Querbeuf commisit Clerus Gallicanus, ut vitam scriberet Archiepiscopi Cameracensis Fenelon. Vincentio Riccati Respublica Veneta, cui antea ipse inservierat in dirigendis cursibus Padi, Athesis, et Brentae, dono dedit aureum numisma pretii mille librarum hac inscriptione cusum. *S. C. MDCCLXXIV Munus Reipublicae Vincentio Comiti ab Riccati*. Vincentium Requeno, et Vives patriae ex exilio restitutum Regia Societas Aragonensis Museo numismatico Caesaraugustano praefecit. Ioannem de Deo Nekrepp Aula Caesarea Imperialis constituit Directorem Academiae Regiae, et Imperialis linguarum Orientalium, et Ioannem Molnar Assessorem, et Directorem humaniorum studiorum in Universitate Budensi. Antonii Ludeña dissertationem de mecanica sublimi Academia Mantuana coronavit.

Ioannes Theophilus Delpini praeficitur Orphanotrophio Regio Theresiano Catholico Cibiniensi ab Augusta Maria Theresia Austriaca, et ab eadem renunciatus fuit Delpinius Abbas B. M. de Kolos-Monostros magnifico diplomate, in quo haec sunt Imperatricis verba: " Nos inductae praeclaris virtutibus, doctrina item, et eruditione, exemplarisque vitae conversatione ... Ioannis Theophili Delpini ... quibus ipsum ab Altissimo insignitum, et ornatum esse ... cognovimus, impeculiarem praeterea sumentes reflexionem tam apostolicos illos labores, quos primum in Hungaria, mox etiam in magno Transilvaniae Principatu, Anabaptistis ad veram fidem reducendis cum summo animi nostri solatio impendit, quam fidelem, ac laudabilem zelum, et industriam, quam nobis in erectione prae-

attacti (scilicet Orphanotrophii Cibiniensis) exhibuit, et probavit, continuavitque etiam in praesens per sedulam, et indefessam prolium curam, et institutionem, eundem I. Th. Delpini tamquam personam idoneam, et de publico bono, ac sancta Dei Ecclesia benemeritam, nobisque hoc nomine gratam, et acceptam ad Abbatiam B. M. V. de Kolos-Monostror... Eligendum, et nominandum... imo eligimus nominamus damus etc. 26. Sep. 1776. „ Faustinus Arevalo renunciatus fuit Censor Academiae Romanae Religionis Catholicae, et honorifico, numquamque antea usitato munere *Hymnographi* Sacrae Congregationis de Propaganda a Papa Pio VII. fuit decoratus. Ioannem Franciscum Masdeu ex exilio in Patriam revocatum Carolus IV. honestissimo censu destinavit ad invisenda, lustrandaque vetustissima, et insignia tabularia Legionensia, quo Historiam Hispaniae ad exitum perduceret. Ioannem Andres triplici honore affecerunt Aulae Hispanica, Vindobonensis, et Neapolitana. Prima jussit novam Scholam erigi in Lycaeo Matritensi S. Isidori pro explicandis Ioannis Andres voluminibus de *universa litteratura*. Altera directorem eum constituit omnium studiorum Universitatis Ticinensis. Tertia denique Ioannem praefecit bibliothecae Regiae Neapolitanae. Antonium Burriel Forolivienses civitate donarunt; eundem honorem Viterbienses Ioanni Bap. Faure, Eugubini Aloisio Lanzi, Ascolani Ioanni Francisco Masdeu, et Sellani cives Emmanueli Marques, et Ioachimo Ferreira praestiterunt praeclara cum testificatione meritorum civium nuper adscriptorum. Ista sunt Sellani verba de adscriptitio Cive Marques: *Cum omnibus sit nota ejusdem* (Marques) *in hoc oppido commoratio per annos 30. summo virtutum exemplo, et doctrina, maxima utilitate vix verbis explicanda nostrorum Iuvenum in scholis, secreta elemosynarum pauperibus largitione, assiduo confessionibus excipiendis studio,*

maximo ardore, et vigilantia adjuvandi morientes omnibus Christianae pietatis officiis etc. Testificationes alias facile quisquis intelligit ad Sellanensis normam fere esse compositas. Neutiquam me impediam recensendis Iesuitis in Academiarum Societatem coaptatis. Innumeri fere sunt, et aliud me vocat opus, scilicet ut sermonem instituam de honoribus post obitum collatis.

BASIS SECUNDA.

AB HONORIBUS IESUITIS VITA FUNCTIS DECRETIS.

Cum honorum funebrium institutio recte excogitata fuerit, ut viros, qui viventes egregia virtutum exempla praebuerunt, etiam vita functos debitis honoribus prosequamur: haud exili Societas afficietur gloria, si ex eadem plures vitae curriculo confecto nullatenus a vivis hujusmodi obsequia desiderarunt. In quo valde consideranda est nostrorum defunctorum conditio: Hi quippe et exilia, et bonorum direptionem, et quod iidem ipsi pejus arbitrati sunt, Societatis decreto Pontificio extinctionem subierunt. Caeterum his exulibus, his omni violentia oppressis, his sicut oves occisionis essent aestimatis, his extinctis honores sepulcrales decernuntur. Rem prorsus viris prudentibus admirandam. Sed antequam ex iisdem aliquot recenseam, qui certissime plures sunt, quam in meam cognitionem venerint, afferam in Societatis extinctae laudem breve hoc, sed elegans epitaphium conscriptum a quodam Gallo Canonico veteri et Censore litterario. *Societe celebre, et digne de regret*: Envertus, en ta-

lens, en grands hommes feconde: Puisse-t-elle renaître, e fleurir a jamais: Pour l'honneur des Autels, et le bonheur du *Monde*: Quod mihi placuit ita latinitate donare: O *celebris caetus*, nostro dignusque dolore: Doctrina, ingeniis, ac pietate vigens: In vitam rediens, utinam florescat in aevum; Quo sit honor aris, sit populisque *salus*.

Producantur ergo gravissimi testes, quibus gloria Societatis posthuma firmissime communitur. Ioannes Baptista Faure, a cujus stilo, judicioque acri, atque robusto nescio quid sibi timentes extinctionis Societatis auctores in arcem S. Angeli mense Augusto an. 1773. custotiendum truderunt, ne aliquid contra ipsos conscriberet, Vir iste doctissimus diem supremum obiit Viterbii; et eidem Cives Viterbienses hoc illustre monumentum dicarunt: *Ioani Baptistae Fauraeo Romano*: Theologicorum dogmatum in Urbis Collegio: Dum Societas I. staret: Annos XXIV. Eximio Professori: Per illustri Viro: Solida Religiosae vitae virtute: AEque ac Omnigena eruditione probatissimo: Quarum altera in adversis rebus: Enituit: Altera litterariis in concertationibus: Editorum passim operum testimonio confirmata: De Civitate Viterbiensi Benemerito: Ob assertum Desiderii Regis decretum: S. P. Q. U.: Honorem decuriatus, imaginem in Curia: Funeris pompam, ac sepulturae lapidem: Decrevit: G. A. M.: Vixit annos LXXVI. mens VI. Decessit VII. Kal: Maii M. DCCLXXIX.

Noster Ioanne Serane Tolosae obiit magna sanctitatis opinione. Senatus, sive Parlamentum, ut ipsi vocant, Tolosanum, decretis prioribus refixis, Seranem jussit in Templo humari hac inscriptione superposita: „ Virtute, zelo, verbo et opere Clarus Iohannes Serane, Presbyter olim e Societate Iesu, obiit die XVII. Aprilis anno 1784 „ Ecclesiastica Tribunalia Tolosana causam Serannis Canonizazionis, ut dicunt, jam susceperunt; Ex Termanini in ejus vita.

Antonius Acatius Sarracinelli, quem Romae novi, et perorantem audivi apud Patres Missionis D. Vincentii a Paulo, Tibure obiit an. 1802. Senatus Tiburtinus marmoream Sarracinelli imaginem in aedibus Senatoriis jussit collocari hac eleganti inscriptione. *Monumentum*: Acat. Antoni. Sarracinelli: E. Soc. Iesu: Domo. Urbivento: Patricia. Nobilitate: Quem. Tiburtes: Annos. XXIV. Incolam. Utilissimum: Perpetuo. Amore. Coluerunt: Pius. Vix. Annos. LXXVI. M. VI.: Summam. Doctrinae. Laudem: Et. Oratoris. Praestantissimi. Honores: Per. Italiam. Adeptus: Quae. Virtute. Et. Integritate. Vitae: Cumulavit: Dec. III. Idus. Apr. An. M. DCCC. II: Cui Ordo. Splendidiss: Funus. Publicum. Et. Laudationem: *Decrevit*.

Marianus Rodriguez obiit Pisauri eximia pietatis fama. Tumulatus fuit, ut ipse expetierat, in aedibus S. Francisci, arca lignea conditus, sigillo Episcopi Pisauriensis impresso, et hac lapidea super imposita inscriptione: „ Marianus Rodriguez: Hispanus: In Societ. Olim Iesu: Temporalis Adjutor: Virtutum laude: Praeclarus: Obiit Pisauri: 29. Augusti 1785. „

Nostrum Iosephum Ignatium Crollalanza vita functum 1. Nov. 1779. Senatus Solodurensis apud Helvetios hoc elogio mactavit, quod in tabulas publicas Solodurenses relatum fuit: *Soloduri (Soleure)* 29. *Novembris diem sibi supremum habuit Iosephus Ignatius Crollalanza, Operarius, Praeses Congregationis Dominorum, ac Civium, et Principalis, ut nuncupant, seu Director Collegii D. D. Professorum. In isto Societatis I. antehac membro amisit Status quidem Ecclesiasticus genuinum, ad quod se componeret, exemplar: AEgroti animorum Medicum, salutis suae studiosissimum: Collegium Superiorem dignissimum: Universa demum Civitas virum, cujus jacturam lugere numquam satis poterit. Dum vixit ob indolis suavissimae, atque ingenii dotes eximias, et multo amplius ob praeclara*

omnigenae virtutis decora, virum hunc aestimabant, venerabantur, amabantque omnes: mortuum, qui non lugeret in tota Civitate fuit nemo. Neque tam amplo, honorificoque monumento contentus idèm Senatus aeri incidi decrevit Crollolanzae effigiem hac inscriptione: *Pauperum Patrem, Aegrorum Matrem, Omnium fratrem, Virum doctum, et humillimum, in vita in morte, in feretro suavitate sibi similem amabat, admirabatur, lugebat Solodurum.* Ex Termanini in ejus vita.

Clarissimus doctrina ac pietate vir Franciscus Victorius, meritissimus Archiepiscopus Calaritanus litteras typis editas dedit 2. Septemb. 1790. ad Curiones suae Dioecesis, eos docens de obitu nostri Ioannis Bap. Sanna die 31. Augusti, de quo praeter alia haec eleganter praedicat: *Heu! Quantum Virum amisimus, Fratres! Quem solicitudinum nostrarum coadjutorem! Quam fidelem Apostolici muneris administrum! Quae de illo virtutes praedicantur! . . . Hunc igitur, ac talem virum de Nobis et de universa Dioecesi optime meritum, quem vivum obsequio, atque amore semper prosecuti sumus, vita pariter functum prosequi non desistemus. Confidimus autem fore, ut Vos quoque memores officiorum pietatis, ac caritatis, quae tam profuse, et tam amanter in vos contulit, aliquotam horum partem illi de mortuo reddatis, illius animae pacem a Domino, aeternam gloriam, atque felicitatem in luce Sanctorum prece una cum plebibus vestris implorantes, pium Sacerdotem, fidelem coadjutorem, operarium Nobiscum, et cum omnibus bonis memoria recolentes sempiterna.* Qui totam velit epistolam legere, adeat opus inscriptum *Supplemento al Giornale Ecclesiastico di Roma. Quint. II. per i mesi di Marzo e Aprile* 1791. pag. 164.

Emmanuel Marques Lusitanus supremum vitae diem egit Sellani in Dioecesi Spoletina magna sanctitatis opinione, aliquot etiam miraculis confirmata. In ejus obitu orationem funebrem dixit vir Clar. Pater

Thomas de Terni (Interamna) Superior Patrum Cappuccinorum Bevagnae . Ejusdem sepulcrum ornatum fuit hac lapidea inscriptione :

A . M . D . G .

Emmanuel Marques : Lusitanus Sacerdos : Olim Societatis Iesu : Vir sapiens : Ab infantia probus : Charus omnibus : Hic jacet Obiit XV. Martii 1806.

Xaverio Bettinelli Mantuae vitae cursu confecto Arcadia Virgiliana Mantuana habito Academicorum conventu , elegantem orationem , et permulta pulcherrima poematia dicavit , quae typis vulgata sunt titulo *Prose , e Poesie in morte del Cavaliere Saverio Bettinelli* etc. Mantuae 1808. Pari honore Bettinellium affecit Arcadia Romana ; sed nihil adhuc in publicam lucem prodiit .

Horatius Stefanucci obiit in arce Romana Sancti Angeli , in quam detrusus fuerat furore Adversariorum Societatis ; sed Cardinalium Collegium , studiose urgente Cardinali Bonacorsi , decrevit eum sepeliri apud S. Mariam Transpontinam pompa pari , qua Presulum Romanorum funus celebratur .

Ioannes Bap. Roberti Bassani e vivis ereptus tumulatus fuit praesente Senatu , et funebri oratione parentatus . Et in ejus laudem elogia edita fuerunt a viris eruditis .

Laurentius Ricci , Soc. I. Praepositus Generalis , honestissimo funere , jubente Pio VI. ad templum D. Ioannis Nationis Florentinae fuit elatus (cui ego cum incredibili populi effusione interfui) iisdem honoribus , quibus mos est Praesules efferri Romanos .

Rogerius Ioseph Boscovich , qui Mediolani e vita excessit 1787. Funebri pompa fuit decoratus , et ejusd. sepulcro elegantes inscriptiones appositae . Non Mediolanum tantum , sed Ragusina Respublica tam praestantis sui filii memor , honores etiam funebres Boscovichio decrevit laudatione publice habita a nostro Zamagna .

Iulio Caesari Cordarae Urbs Alexandria in Liguria marmoream statuam dicavit in Senatus Palatio collocandam; et eruditissimus Marchio Carolus Guasco orationem funebrem in Nobilium concione de ejusd. laudibus habuit.

Nostro Hieronymo Tiraboschi Comes Philippus Iosephus Marchisi inscriptionem lapideam luculentam consecravit compositam a doctissimo Viro Pompilio Ponzetti ex Ordine Scholarum Piarum; quae ita est.„ *I . X . Θ . V . C* . Cineribus, et memoriae Hieronymi Tiraboschii Polistoris aetatis suae cum paucis numerandi. Hic natus Bergomi Societati I. adolescens nomen dedit, politiores litteras docuit Mediolani in Braydensi Collegio, ibique vetustis Humiliatorum monumentis editis, atque illustratis tantam industriae, doctrinaeque suae opinionem concitavit, ut Mutinae a Francisco III. Atestiae Bibliothecae praefectus fuerit; scriptis autem, ac laude clarior in dies ab Domino N. Hercule T. P. F. equestri honore donatus, inter sui consiliarios adscitus, necnon Atestinae bibliothecae, et numophylacii praeses dictus est. Ipse de praestantium ingenio, ac scientia Italorum singillatim etiam nostratium biographia, de re critica in alienis sententiis, suarum tamen minime tenax, apposite castigandis, de re diplomatica in annalibus Nonantulani caenobii condendis, de omnigena denique eruditione egregie meritus. Huic historiae literariae Italicae Patri nuncupato, eidemque frugi integro, pientissimo, in egenos benigno, in omnes comi absque fuco, quem heu dira mors in Mutinensibus Commentariis absolvendis insudantem Universorum Ordinum luctu intercepit Mutinae 3. Nonas Iunias An. 1794. Philippus Ioseph Comes Marchisius, Patricius Mut. et Reg. Bibii Massae. Cet. Dynastes Regiae Aquilae albae, ac D. Stanislai Pon. Mart. Eques torquatus, Serenissimi Ducis a cubiculis, et a sanctioribus con-

siliis, viri clarissimi studiosissimus, quod unum poterat, perpetuam observantiae suae tesseram, titulum hunc ponendum aere suo curabat. Vixit annos 62; menses 5, dies 6. *In. P. X. V.*"

Petrus de Salazar, qui magnam generis nobilitatem religiosis virtutibus illustravit, obiit Arimini 1770. populo Ariminensi funus ejus celebrante, et demortui reliquiarum partem summopere flagitante.

Iosephus Asclepi, claris. Mathematicus obiit Romae 21. Iulii 1776. apud Patres Clericos Regulares Minores. Gravissimus, et doctissimus Vir Pater Thomas Gabrini, ex eodem Ordine, et Curio Templi SS. Vincentii, ed Anastasii, qui morienti Asclepio adfuit adjutor, et hortator, eundem pompa funebri decoravit; et in Necrologio Paraeciae (Libro de morti della Vener. Chiesa di SS. Vincenzo, ed Anastasio a Trevi) eum dicit *celebrem in Republica Litteraria, et Deo charum ob suam pietatem, eumque placide Creatori reddidisse suam innocentem animam*.

Aloysius Antonius Lanzi, quem non semel officii causa Florentiae adii, ibi obiit 3. Martii 1810. Eruditissimus, atque elegantissimus vir Ioannes Bap. Zannoni eximium de Lanzio elogium adornavit; typis que uno folio plura ejusdem edidit exempla, quorum unum tubo plumbeo inclusum ad tumulum Lanzii in aede S. Crucis conditum est; ex quo exscribam solum ultima verba: *Ave senex optime incomparabilis: Quod rei antiquariae teminosquam latisime: Propagasti: Aequales te suspexerunt. Posteritas: Commendabit; quodque ita vixisti, ut si esses quotidie: Moriturus, e mundo tamquam ex hospitio migrasti, et: Semel beato animorum concilio receptus sede piorum: Aeternum frueris.*

Hieronymus Trento, quem ego perorantem Forolivii audivi, obiit Venetiis 19. Ap. 1784, estque sepultas in templo S. Leonis, hac superposita inscriptione:

D. O. M. Hieronymus ex Comitibus Trento Patavinus, Sacerdos Exjesuita, animarum zelo, et vitae innocentia clarissimus, Concionator vere Evangelicus, quadragesimali praedicatione Venetiis in D. Laurentii incepta, tum alibi intra, atque extra Italiam per annos 39. continuata, hoc tamdem in Templo consumptis pene viribus magno cum spiritu expleta, post innumeros etiam pro Dei gloria exantlatos labores, ipso Divi Leonis festo die anno 1784. dormivit in Domino, annos natus 71. Ejus corpus honestissimo funere elatum, hic poni curarunt Sodalitatis SS. Sacramenti Praesides.

Iacobus Pedralbes ea sanctitatis opinione Ferrariae vixit, ut Curio Paraeciae S. Matthei haec ad Iacobi demortui memoriam in suo Necrologio scripserit: *Iacobus Pedralbes, Sacerdos Hispanus, Clarus apud homines ob insignem doctrinam, animi candorem, notissimam morum integritatem, probatamque in Spiritus directione peritiam: Clarior apud Superos ob abditas virtutes. Obiit Ferrariae die 8. Martii 1786. aetatis 78.* (Prat de Saba in *Vicennalibus etc.*)

Pari quoque honore ornatus fuit Ioachimus Sala, cujus arcae sepulcrali haec memoria fuit inscripta: *Ioachimus Sala Sacerdos (olim) Professus S. I. natus in oppido Berga Dioecesis Caelsonensis in Cathalonnia die 25. Octobris 1725. Obiit Ferrariae die 19. Feb. 1784. omnium consensione maximarum virtutum exemplis, summaque morum honestáte clarus: Cujus rei, quo testatior esset apud posteros memoria, Hispani Socii voluere monumentum hoc esse positum. Rectore hujus Collegii P. D. Hieronymo Bentivoglio Congreg. Regul. Somaschae: Aedituo F. Paulo Furlani.* Ex Prat de Saba in *Vicennalibus etc.*

Neque Noster Honuphrius Paradisi, cujus memini in Additamentis ad Sotuellum, honores sepulcrales desideravit. Ad ejus obitum Illustrissimus Sosius Carraffa Episcopus Lupiensis jussit campana aerea Aedium

Sacrarum omnium lugubribus ictibus percuti, et Canonicorum Collegium justa in aedibus nostrae Societatis persolvere. Cadaver inclusum fuit arcae plumbeae, cujus una clavis tradita fuit Episcopo, altera Lupiensi Senatui, et 3. Collegii nostri Rectori. Ejusdem Senatus mandato orationem funebrem dixit Canonicus Lupiensis, et habitus fuit caetus Academicus de Paradisi laudibus magna equitum, et Ministrorum Regiorum frequentia. AEri quoque incisa fuit Paradisi imago hac perpulcra inscriptione: *Pater Honuphrius Paradisius S. I. sacris excursionibus cum Salentinas, finitamasque Dioeceses annos* 23. *lustrasset magnis laboribus, miro animarum proventu, crebra miraculorum fama, summis juxta, et infimis carus inter publicas lacrymas, et maxime inopum, quibus juvandis favendisque vixerat, sancte obiit Lupiis die* 14. *Aprilis* 1761. *aetatis* 57. *Societatis initae* 40. Ex Termanini in ejus vita.

Ioannes de Santiago, vir Apostolicus, quem clarissimus Scriptor, sanctissimusque Episcopus Cordubensis Marcellinus Siuri socium sibi in excursionibus Apostolicis volebat, obiit Cordubae 25. Dec. 1762, quarto nempe anno ante expulsionem Hispanicam. Ob insignem de ejus virtutibus opinionem miraculis, et praedictionibus confirmatam Ioannis cadaver magnifica pompa funeris decoratum, conditum fuit arca pretiosa, cujus clavim unam Senatus Ecclesiasticus Cordubensis, civilis alteram, tertiam Collegii Cordubensis Rector sibi retinuerunt. Reculas, quae Ioanni inservierant Optimates Cordubenses avide arripuerunt ut praesentissimum contra pericula, et omnem mali faciem remedium, quod non uno tantum eventu comprobatum est. Episcopus ipse Cordubensis Martinus de Barcia Crucifixi imaginem, et Bernardinus de Roxas, et Contreras Gubernator Cordubensis crucem aculeis ferreis munitam, qua se Vir Dei jugiter tor-

quebat, impetrarunt. De Ioanne Santiago memini in meis Supplementis ad Sotuellum.

Carolus Iosephus Piccaluga ex Provincia Romana Fesulis obiit; ejusque Cadaver in capsa fuit conditum simul cum tubo plumbeo adjunctis magnis, sermone italico de ejusdem virtutibus elogiis; superaddita quoque fuit haec inscriptio Latina: *Carolo*. Piccalugae: Civi. Genuensi. Sodali. Societatis. Iesu. Professo: Pio. Docto. Salutis. Omnium. Studiosissimo: Philosophiam. Senis. Tradidit. Romae. Item. Docturus: Si. Sodalitas. ejus diutius mansisset: Ea deleta inquilinus Faesulis mansit an. plus XX: Rerum Caelestium contemplator. Humanarum Contemptor: Adversarum cum gaudio patiens: Reliquias mortui, ceu viri Sancti, vulgo Populus conquisivit: Vixit an. circ. Io. ob VI. Idus. Majas. Anno M D. C. C. C. VII: Alexander Piccaluga Fr. filius adoptivus: M. O. B. M.

Ignatius Monteiro Lusitanus, si quis alius doctissimus, obiit Ferrariae 1812. Academia Philosophica Ferrariensis suo celeberrimo per tot annos Magistro honestissime parentavit.

Guillielmus Franciscus Berthier nomen inter Eruditos clarissimum, Biturigibus obiit. Episcopus Bituricensis, et Canonicorum Collegium sepulturae locum in Templo Principe decreverunt, et iidem officia sacra pro defuncto solemniter obierunt. Sepulcrali lapidi, qui tam praeclari viri exuvias recondit, inscriptum fuit hoc elogium a nostro Gabriele Brothier, ita volentibus Episcopo, et Canonicis: *Deo immortali Sacrum: Hic jacet: Guillielmus Franciscus Berthier: Sacerdos patria Issoldunus: Societatem Iesu ingressus: Anno* 1722: *Vitam egit morum candore virtutum splendore: Tuendae Religionis studio: Litterarum, et doctrinae fama: Clarissimam: Bibliothecae Regiae custos: Institutioni Ludovici* 16: *Regis Christianissimi: Addi-*

tus anno 1762 : *In Aula vixit modeste , et religiose : Suprema vitae tempora : Uni Deo , et Christianae pietatis : charitatisque officiis impendit : Annos aeternos : Assidua meditatione reputans : Obiit die* 15. *Decembris anno* 1782 : *Aetatis suae* 78 : *Civis optimus hoc in templo : Cum publico Urbis luctu : Ex decreto Capituli : Tumulatus est : Virtutis exemplum , et incitamentum.*

Beati mortui , qui in Domino moriuntur. Apocal. XIV. 13.

Franciscus Antonius Zaccaria , cujus immensa eruditio ab omnibus celebratur , Romae obiit , sepultusque fuit in Templo S. Apollinaris prope Aram Divo Ignatio de Lojola dicatam hac lapidea Inscripione auctore Cardinali Ioanne Castiglione , tunc Praesule Romano : „ Franciscus Antonius Zaccaria : Patria Venetus Sacerdos Societatis Iesu : Cujus Institutum , quamdiu extitit : Candide professus est : Pluribus copiose , docte , orthodoxeque editis libris : De litteris , de scientiis , de religione : Optime meritus : Vix. ann. LXXXII. M. VI. Dies XIV : Decessit ad VI. idus Octobris : M.D.C.C.L.XXXXV : P. Q. „

Alphonsus Muzzarelli ex Provincia Veneta Pii VII. a theologicis consiliis obiit Parisiis 25. Maii 1813. Nuncio ejus obitus Ferrariam , ejus natale solum delato , praeter honores funebres ab Ecclesia Principe , cujus fuerat Canonicus , praestitis , in Iesu Templo , quod Iesuitarum fuerat , eosdem celebrari jussit Comes Muzzarelli additis insuper oratione funebri , et caetu publico Academico , cujus poemata in Alphonsi laudem nescio an fuerint edita . Pares publici honores funebres in defuncti memoriam habiti sunt in templo Divi Crispini a conspicua Iuventutis Sodalitate .

Emmanuel Ciorraga Cantaber , sed ex Provincia Mexicana Adjutor in re domestica Oriolae in Regno Valentino die 8. Dec. 1799. magnis relictis virtutum exemplis obiit . Dum validis fueretur viribus obitum su-

um praedixit. Demortui cadaver per tres integros dies publice patuit, quin humo mandaretur ad populi frequentissime accurrentis solatium, qui ab eo vestes diripuit, ut viri Sancti reliquias venerandas. Immo Episcopus Oriolanus Franciscus Cebrian, et Balda aliqua, quibus noster usus fuerat vivus, sibi pietatis causa sumpsit, et eum, sepeliri loco nobili jussit: atque ejusdem conscientiae moderatori, vitam ut scriberet typis mandandam injunxit.

Gabriel Brotier ex Provincia Franciae, Lutetiae Parisiorum obiit 12. Febr. 1789. Comitia Academica Parisina habita 1790. insigni elogio mactarunt Brothierum, quem nescio qua ratione Laudator Academicus asserit tyrocinium ante ingressum in Societatem posuisse apud Canonicos Regulares S. Genevefae.

Martinus Picazo ex Provincia Toletana rei familiaris Adjutor, qui Forolivii praeter alia virtutum exempla, se comitem dedit Patri Ioanni Pacheco, deinceps que Patri Iosepho Prado eximiae pietatis viris in opitulando, favendoque que Peregrinis Hospitii Foroliviensis Lauretum, ac Romam adeuntibus. Demortuis Pacheco, et Prado, iisdem Martinus charitatis officiis insistens, peregrinos nummis conquisitis sublevabat, cum illis preces coronarias in Deiparae laudem una fundebat, Christianam doctrinam explanabat, ad noxarum confessionem hortabatur, et Sacerdotes ad eos expiandos adducebat. In Hispaniam redux, constitit in solo patrio dicto *Madrigueras*, ubi suis popularibus non minori fuit exemplo, quam Foroliviensibus fuerat. Obiit ibi 3. Ianuarii 1800, Veneris die, uti a Deo semper petierat pro sua in Christi mortem veneratione. Incredibilis fuit ad ejus funus popularium turba, quae a custodibus cadaveris aegre prohibita fuit, a demortui vestibus omnino diripiendis. Dominus Thomas Minguez oppidi Curio cadaver loco nobili sepelivit, et jubente Illustrissimo Domino

Philippo Antonio Solano, et Marin Episcopo Conchensi inquisitio judicialis majori, quae fieri posset auctoritate de Martini gestis confecta fuit; ejusdemque vitam laudatus Curio conscripsit typorum formis vulgandam.

Hactenus a me relata planissime aperiunt Aeterni Numinis benignitatem gloriae Societatis posthumae summopere consulüisse ab honoribus, quibus plures ex nostris post obitum affecti sunt. Sed quod nunc referendum suscipio, magis, sic audeo pronuntiare, clarioríque perspicuitate manifestat benevola Divinae Sapientiae consilia in augenda Posthuma Societatis fama. Permissum fuerat a Carolo IV. Pio, et Optimo Rege Iesuitas qui vellent, in Hispaniam remeare; quo Regio beneficio complures usi, in Patriam relicta Italia, se receperunt. Anno igitur 1800. variae per Baeticam urbes faedissima peste fuerunt crudelissime afflictae. Nostri eas urbes incolentes, memores innumerabilium exemplorum nostrorum Veterum Patrum, qui vitam in opitulando peste afflatis generose prodegerunt, ejusmodi exemplis accensi, et suo praeterea gravissimo periculo confirmare cupientes, se se Hispanae nationis commodis fuisse semper devinctissime devotos, illico ad tantum charitatis opus praestandum animo promptissimo se accinxerunt. Etsi nonnulli superstites remanserunt ex his pietatis officiis, et in his Ioannes Iabat ex Provincia Mexicana, hodierna die Gadibus ministeriis Societatis adimplendis occupatus, ex cujus litteris haec accepimus; Viginti vero septem, et natalium splendore, et doctrinae laude conspicui sua morte martyrium charitatis consummarunt. Gadibus nempe Petrus, et Isidorus Gonzalez, germani fratres, et Petrus Cuervo ex Provincia Mexicana: Michael Vega, Franciscus Muñoz, et Antonius Lopez ex Provincia Baetica. Ex Provincia Chilensi Franciscus Tagle, et Baptista Palacios, Cognatus Marchioni

de Aguire. Ex Provincia Paraquariae Didacus Irribarren, et Firminus Excurra, Adjutor: ex Peruana Vincentius Valcarcel. In Portu Mnesthei, quem magis digno nomine vocant Hispani *Portum Sanctae Mariae*, obierunt Carolus Perez ex Provincias Quitensi, et Sebastianus Perez ex Castellana, propinquus Archiepiscopi Burgensi N. Rodriguez Arellano. In Castro Caesariano (Xerez de la Frontera) obiit Iulianus Vergara ex Provincia Paraquariae. Hispali obierunt 13. scilicet Aloysius Medinilla, Ildephonsus la Plana; reliquos haud sine dolore taceo ob memoriae imbecillitatem. Prudentibus viris insedit opinio non hominum consilio, sed providentia Dei singulari hanc remeandi potestatem fuisse factam, ut Iesuitae Nationi Hispanae hoc charitatis exemplum relinquerent; quod etiam aliquomodo innuere videtur secundum exilium Iesuitis denunciatum post tam gloriosas suorum Sociorum mortes. Has pro Hispanorum salute victimas ultro immolatas summis iidem Hispani laudibus in caelum sustulerunt, minime dubitantes, dum temporum perversitas defervescat, hoc qualecumque monumentum vel nobilius aliud earum memoriae consecrare:

D. O. M.

Cineribus Heroicis: Septem et viginti Iesuitarum: Qui instituti sui tenaces: Sociorum veterum exempla: Ad extinctionem usque retenta: Populos omni modo juvandi: Aemulantes: Mortis terroribus contemptis: Vitam libenter profuderunt: In erigendis, consolandisque Civibus: Gaditanis, Marianis, Caesarianis, et Hispalensibus: Immani contagione tactis: Hispania Baetica: Praeclari Officii memor: Hoc monumentum posuit: Anno 1800.

BASIS TERTIA.

A PIIS IESUITARUM INSTITUTIS ETIAM POST EXTINCTIONEM CONSERVATIS, ET ALIIS AB IISDEM INVENTIS.

Ubi recto judicio valens, nullisque animi perturbationibus affecta contempletur Posteritas tot, tamque pia, ac generi hominum summopere proficua a Iesuitis inventa adhuc post extinctionem Societatis conservari, illico horum Institutorum auctores mirifice suspiciet, et amabit. Fructus adeo bonos arbor mala edere potuisset? Haec erit universae posteritatis concors, unanimisque sententia, qua Societatis gloria posthuma amplius confirmabitur, et ipsa Societas mortua se viventem in tot praeclaris monumentis remanentibus ostendet. Ab ejusdem Societatis Fundatore Divo Ignatio orationem esse exordiendam, et ipsa in tantum Parentem reverentia, et jura omnia postulant, cum suis ipse filiis in his institutis creandis praeiverit. Ignatius ergo cum Romae tot puellas, puerosque videret genitoribus orphanos per Urbem fame, inopiaque fere consumptos vagari, maximo etiam cum animorum detrimento, (unusquisque enim sine ullo monitore summa licentia utebatur) persuasit nonnullis Illustribus Romanis, ut hanc sibi curam sumerent, miseros istos in locum tutum conferendi; quod pietatis officium summopere probatum fuit Paulo III. Puellae nunc incolunt Caenobium SS. IV. Coronatorum; pueri vero domum, et Templum S. Mariae in Acquirio (vulgo *gli Orfanelli*). Utrique, et religione, et artibus utilibus instituuntur magno Urbis emolumento. Sacro D. Ignatii debentur ardori Caenobia S. Catharinae de Funariis, S. Marthae et S. Iacobi in Vico Longarae pro faeminis vel vita solutiore insignibus, aut

malenuptis, vel in periculo perdendae honestatis versantibus. Neophytorum, Cathecumenorumque domus suum etiam initium ab Ignatio repetunt, ubi quique vel ex Iudaismo, vel aliis quibusve Sectis ad Christi fidem conversi, aluntur honeste, et Christiana dogmata docentur. Collegium Germanicum Hungaricum quo Iuventus Germanica scientiis Theologicis sedulam dat operam, ut in patriam reversi Catholicam Religionem contra haereticorum artes tueatur, totum fuit Ignatii opus, quod uberrimos ad hanc diem fructus doctrinae, ac pietatis Orbe plaudente refert. Auctor quoque fuit Ignatius, ut Innocentii tertii lex, quam desuetudo ipsa ferme antiquaverat, prohibens Medicis graviter aegrotantes curare, nisi ante peccata confessos, a Rom. Pontifice instauraretur, ea tamen sapienti temperatione aegrorum existimationi, animis, corporibusque profutura, ut bis possint medici aegrotos non confessos invisere. Sed inter Ignatii instituta, quod magis ejusdem in proximos caritatem commendat, illud est Exercitiorum spiritualium inventum, quorum ipse Deipara Virgine inspirante fuit Architectus. Nihil istis reperies accommodatius ad purgandas animi cupiditates, nihil quod amplius conferat ad officia, quae Deo, hominibus, nobisque metipsis debemus, cumulatissime explenda. Haec ergo institutio, etsi a nonnullis obtectatoribus in principio fuerit oppugnata, verum postquam Paulus Papa III. illam a viris doctissimis attentissime examinatam adprobavit, ita per totum Orbem diffusa fuit, ut nulla sit Catholicorum Provincia, imo nulla fere Urbs, quae eâ non utatur. Plures domus exaedificatae sunt, ut in has Fideles collecti istis spiritualibus exercitiis excolantur. Ordines Religiosi omnes ea quotannis agenda sunt amplexi. Universi qui Sacerdotio initiandi sunt, Episcoporum jussu iisdem Exercitiis obeundis operam dare tenentur.

Turpiter hoc loco silentio premerem, quae Cardinalis Vitalianus Borromaeus natalium splendore, dignitatis amplitudine, doctrinarum eruditione, et sanctitate vitae prorsus Eminentissimus in Urbe praestitit pro hac saluberrima institutione promovenda. Anno igitur 1784. initium dedit, ut pueri primum Sacro convivio reficiendi numero 24, quinquies intra anni spatium ex domesticis laribus ad conclavia Collegii Romani prope a cubiculo D. Aloysii Gonzagae lectis, reliquisque utensilibus apparata, et instructa transferrentur sacris commentationibus exercendi per octo continenter dies cibo, potuque subministratis nullo eorum sumptu, omnia piissimo Cardinale prolixe largiente, censu annuo in perpetuum constituto. Quae de pueris eadem Cardinalis statuit pro Sacerdotibus, pro Causarum Patronis, pro Curiam frequentantibus, et pro caeteris Civibus, alternis spatiis interjectis. Tam pium Borromaei exemplum in Americam me vocat. Illustrissima Faemina Maria Fernandez de Cordova ex primaria Hispaniae nobilitate Limae patriae suae in Peruvia amplam domum destinavit, in quam illustres faeminae cogerentur, ut iisdem commentationibus a negotiis avocatae operam darent; ibique laute, sed modeste a Cordova tractabantur, simul cum pedissequis secum ipsis adductis. Illustrissima Cordova erat in vivis post Iesuitarum Hispanorum exilium. Ampla profecto sunt ista, sed quae nobilis faemina Maria Antonia a Sancto Iosepho Hispana Paraquariensis effecit, fere fidem excedunt.

Haec igitur heroica Faemina Iesu Societatis amantissima expulsis ex America Iesuitis excogitavit, qua posset ratione conservare exercitiorum D. Ignatii usum. Episcopos ergo adiit facultatem impetratura commentationes Ignatianas per idoneos Sacerdotes explanandi. Aedes ipsa conducit, in quas paratis jam lectis, reliquisque utensilibus cives magno numero alternatim

cogantur has commentationes obituri, impensas omnes in cibos etiam, atque potum ipsa Maria Antonia faciente. Ex una in alias Provinciae Paraquariae, que latissima est, urbes non rheda, sed pedibus decurrit. Dum Urbem Bonaurensem advenit, dignissimus ejus Episcopus Sebastianus Malvar, Archiepiscopus deinde Compostellanus, ut erat acutissimo ingenio vir, ac praestans Theologus parum acquiescens tanti operis novitati a debili foemina praestandi, primum facultatem negavit, deinceps plurium mensium moram interposuit. Ast secretissimis inquisitionibus praescriptis de moribus, et gestis Mariae Antoniae, nuntiisque ex aliis Urbibus allatis de fructibus ex hac opera proficiscentibus, non solum Malvarius petitam potestatem fecit, sed etiam unus esse voluit ex sacra ista commentatione excolendis. In his Mariae Antoniae expeditionibus duo mihi prae aliis admiranda sunt: nempe exercendorum numerus, qui in una Bonaurensi Urbe quindecim millia fuerunt: alterum argenti copia tot sumptibus faciendis a foemina modicae fortunae, et quae numquam ab aliis pecuniam flagitaret. Divina Numinis Providentia in his impensis agendis primas sibi partes sumpsit.

Innumeri sunt Scriptores, qui suis commentationibus commentationes istas Ignatianas illustrarunt; eo plurimae successu, ut unius Ioannis Croiset, qui obiit 1729. explanatio, quam *Retraite spirituelle* gallice appellavit, editiones usque ad annum 1755. nacta fuerit adminus 25. gallicas praeter interpretationes Hispanicam, Anglicam, et Italicam, quae haud semel typo vulgatae fuerunt.

Vestigiis Sanctissimi Parentis inhaerentes Filii plura excogitarunt Reipublicae Xañae fructuosa, quae neque Societatis extinctio delevit. Didacus Lainez in summa annonae difficultate, qua Roma misere vexabatur, Auctor fuit Principis Sodalitatis, quam *Ar-*

chiconfraternitatem SS. Apostolorum vocant. Erecta praecipue fuit ad inopes illos sublevandos, qui prae pudore stipem cogendi, graviori fame premebantur. Similem Sodalitatem erexit Rothomagi Honoratus Niquetus. Bernardinus Antequera instituit Matriti Sodalitatem quam del *Refugio* vocant, et sermone plebis la *Ronda de pan*, *y huevò*, incolarum incommodis sublevandis sumptu fere effuso, ut liquet ex libello, qui quotannis editur Matriti, inscriptus *Guia de Forasteros*. Ioannes Lorinus Auctor fuit nonnullis in Urbibus, ut Cives ad sonum aeris Campani excitarentur sub vesperam ad preces pro defunctis fundendas: Idem Avenione effecit, ut semel in hebdomada concio haberetur ad Haebreos; quae duae res maximos attulere fructus, usque ad Iesuitarum excidium. Franciscus Turrianus suo scripto perfecit, ut festus dies Praesentationi Deiparae dicatus in usùm revocaretur, atque Ecclesiae Catholicae restitueretur, quam Turriani pietatem Deipara ipsa gratam habuisse ostendit, Turriano ad Superos migrante ipso Praesentationis die. Ioannes Eusebius Nieremberg Auctor fuit institutionis festi de Deiparae Patrocinio eo successu, ut non solum in amplo Hispanorum imperio. sed in reliquis mundi Christiani Provinciis hoc festum celebretur. Ioannes Tellerus instituit Romae sodalitium, quod *Archiconfraternitatem charitatis* apellant ad levandam vinctorum inopiam, causas judiciales expediendas, morbos curandos, et iisdem omni ratione opitulandum. Idem libello supplici ad Gregorium XIII. delato impetravit, ut prima post vespertinam salutationem Angelicam hora aes campanum insonaret ad precationes pro animabus purgantibus offerendas. Ioannes Wisocki pluribus locis Nosocomia pauperibus excipiendis excitari curavit: Extant ea hodie Postnaniae, Vilnae, Lubini magno pauperum bono. Ioannes Leo ad propagandum Deiparae cultum, et tene-

ros adolescentium animos pietate Mariana imbuendos primus Romae instituit Sodalitatem a Deipara salutata *Annunziata* dictam, quae per universa Societatis Collegia mirifice diffusa fuit; hodieque viget in Seminario Romano industria piorum Sacerdotum Romanorum, in quorum meritissimam laudem, eosdem adjiciam conservare omnino vigens Oratorium dictum a Patre Gravitta, de quo videatur Noster Io. Bap. Memmi, et aeque florentes sodalitates Bonae mortis, et duas alias ad equitum, et Civium Romanorum bonum in Professorum domo a Iesuitis excitatas. Iosephus Vidal Auctor fuit, ut in Ecclesia Cathedrali Mexicana, caeterisque Regni Mexicani Templis aes sacrum quateretur quotidie ad horam 3. pomeridianam, quo Fidelium mentes admonerentur ad Christi morientis agones, et Deiparae cruciatus pie recolendos.

Franciscus Aguado Auctor fuit Philippo IV. Hispaniarum Regi, ut in sacello Palatino in quo Aula Regia sacris interest sacrificiis, asservaretur perpetuo Sacrosanctum Christi Corpus; qui mos ab Aguado inductus perseverat adhuc. Aloysius Mozzi Bergomi instituit Sodalitatem D. Aloysii Gonzaga, quae usque ad hanc diem magna religionis exempla neutiquam cessat exhibere. In Insulae S. Dominici Urbe *Capo* appellata Iesuitae domos tres destinarunt, primam dictam *Domum Providentiae* illis excipiendis, et nutriendis, qui opinione divitiarum allecti Insulam adeunt, sed opinione frustati, inopia enecantur. Hac in domo se continent, donec munus aliquod occurrat, quod ab illis possit laudabiliter administrari: alteram quoque dictam *Providentiae* pro faeminis senio confectis, quae pecuniae caritate proprias domos habere nequeunt: 3. denique domum S. *Elisabethae* dictam pro faeminis aegrotantibus. Insuper ex Gallia Iesuitae vocarunt faeminas religiosas a *Domina Nostra* dictas, ut incolarum filias moribus, et faemineis artibus imbuerent,

quod feliciter exiit. Ignatius Parhamer Viennae in Austria insigne orphanotrophium erexit summa cum approbatione Aulae Caesareae ob Ignatii solicitudinem in orphanis alendis, et instituendis, quos etiam artem militarem discere curavit, ut pietatem cum armis conjungere nossent. Magno Fidelium fructu Alphonsus Messia invenit in Peruvia Sanctissimam illam religionem, qua Veneris die Hebdomadae Sanctae lugubri apparatu, maesto cantu, pathetico, jaculanteque oratione recoluntur tres Christi animam agentis horae: quam Augustam caerimoniam plures urbes, et oppida post extinctam Societatem retinuerunt. Imo Matriti instaurata fuit pietate Ducis de Hijar ex Hispaniae Optimatibus. Romae denique tantam piorum hominum venerationem haec religio sibi comparavit, ut plurimis in templis celebretur, quae hoc anno 1813. ad numerum saltem 20. pervenerunt. Neque injucundum mea sententia Lectoribus erit, si meminero me anno 1801. vidisse Illustrimum Episcopum Fenajam ex Missionariis D. Vincentii a Paulo haec in templo Romano Deiparae in Acquiro sacra peregisse. Etsi pietas in SS. Cor Iesu antiquissimos Reipublicae Christianae dies attingat, indubitatum est Iesuitas adeo illam illustrasse, excoluisse, ac propagasse, ut iidem fere Auctores praedicentur. Hujus Iesuitarum ardoris successus ita faustus, felixque fuit, ut repugnantiis, contentionibusque asperrimis omnino devictis, piissima in Iesu Cor Religio ubique terrarum dominetur. Quid referam volumina linguis omnibus edita pro hac Religione defendenda, ornanda, et exercenda. Noster Michael Leo cultus Cordis Iesu studiosissimus collectos 100, et amplius Auctores habet tam ex nostris, quam ex exteris, qui suas ingenii, et pietatis vires in hoc sacro argumento commendando posuere. Nostris auctoribus omnino praetermisis nominabo Patres Dominicanos S. Dominici Majoris Neapoli, qui

in suis excursionibus Apostolicis populos ad hanc religionem deducebant, novemdialia de Corde Iesu celebrando, edito ex industria libello inscripto, *Novena al Sacro Cuor di Gesù dedicata a S. Francesco di Sales ... ad uso de' PP. Domenicani del Convento di S. Domenico Maggiore di Napoli nelle loro Missioni etc.* Qui saepe recusus est. Neutiquam mireris in editione anni 1752, et posteriorum sublata fuisse verba *ad uso de' PP. Domenicani etc.* Temporum acerbitati, quae jam terrores, et pericula denuntiabant, est haec omissio tribuenda. His tres alios addam ex eodem PP. Praedicatorum Ordine egregios viros, Ignatium videlicet del Nente Italum, Iosephum Garcia de Fulla Hispanum, et Ioannem Franco Lusitanum, qui suis piissimis scriptis praelucere, ne dicam monere, et hortari, videntur ejusdem Sacri Ordinis viris, ut augustam in Iesu Cor religionem amplectantur, foveant, et opere, ac scriptis commendent. Nominandus quoque mihi est B. W. Hilgers Archidiaconus et Curio Eclesiae S. Cuniberti apud Colonienses, ne hoc tanto viro praetermisso innoficiosus reprehendar. Edidit ergo egregius hic Scriptor *Exercitia pietatis erga SS. Cor Iesu ad usum Confraternitatis de eodem SSmo Corde in Archidiaconali, Collegiata, eadem que Parochiali Ecclesia S. Cuniberti. Coloniae typis Viduae Ioannis Conradi Gussen, sub semilunio prope PP. Praedicatores* 1796. Dicat Auctor opus Iesuitis his officiosissimis verbis: *Almae Societati a Nomine Iesu appellatae. Ex amore Iesu amplificatae. In Cruce Iesu semper cum Apostolo gloriatae. Ob fidem Iesu contumelias pati doctae. Ut animas Iesu lucretur, perpetuo labore occupatae. Devotionem erga amantissimum Cor Iesu in omnium hominum corde, verbo, et exemplo accendere strenue adlaboranti, tenues hasce pagellas, tamquam totidem debitae observantiae suae testes, animo, calamoque devotissime inscribit,*

Servorum minimus B. W. Hilgers Archid. Col. ejusdemque Paroch. Ecclesiae S. Cuniberti Canon. Cap. et Pastor, qua Sodalitii de Sacro Corde Iesu Auctor, et Praeses. Manu propria. Imagines vero Cordis Iesu mirifice variatae innumerae sunt. Ipse Michael Leo mille, et amplius collegit. Innumera quoque sunt numismata sive aerea, sive argentea Cordi Iesu Sacra. Tabulae vero pulcherrime depictae, quot ipsae sint numero, quis reperiet? Nullum verbum faciam de tabulis intra domesticos lares religiose servatis. Neque de illis loquar in omnibus Orbis Christiani Templis ad publicam venerationem patentibus. Una me tantum Roma concludam. Centum saltem Templa fuerunt, in quibus Iesu Cordis imago publice adorabatur, Novemdialibus, vel triduis, et panegyri in multis eorum habitis. Aliquot referre juvat ad majorem Iesu Cordis gloriam, verum, plenumque Piorum Cultorum gaudium, et debitum honorem Ordinibus Religiosis, qui hanc Religionem amplexi, eam excolere pergunt. Praeter tres Basilicas scilicet S. Ioannis Lateranensis, S. Sebastiani, et Laurentii extra muros, cultus Iesu Cordi tribuitur etiam in templis S. Mariae Araecaeli, et D. Bartholomaei in Insula Tyberina a Patribus Minoribus Observantibus: S. Nicolai a Tolentino, et Iesu et Mariae a PP. Augustinianis Discalceatis: S. Laurentii in Lucina, et SS. Vincentii, et Anastasii a PP. Clericis Minoribus Regularibus: S Mariae de Scala, et de Victoria a PP. Carmelitis discalceatis: B. Virginis ad Montes, et D. Iosephi ad Lungaram a PP. Piis Operariis: S. Mariae in Colliculis (*Monticelli*) a PP. Doctrinariis: XII. Sanctorum Apostolorum a PP. Minoribus Conventualibus: S. Mariae in Via a PP. Mariae Servis: S. Caroli a Catinariis a Patribus Barnabitis: S. Andreae in monte Quirinali a Patribus Missionariis D. Vincentii a Paulo: Deiparae a Pace a PP. Canonicis Regularibus

Lateranensibus: Divae Magdalenae a PP. ministrantibus Infirmis: S. Hermetis e regione S. Petri ad Vincula a PP. Syriacis Montis Libani: S. Sebastiani extra muros a PP. Cisterciensibus Reformatis: S. Laurentii extra muros a PP. Canonicis Regularibus SS. Salvatoris: S. Caeciliae trans Tyberim a Virginibus Benedictinis: S Ursulae ab V. Ursolinis: S. Silvestri in Capite, S. Clarae, S. Bernardini Senensis, Purificationis Deiparae, S. Laurentii in Pane perna, S. Cosmae, S. Urbani, Conceptionis Deiparae ad montes, Deiparae ad Montem Quirinalem a VV. ex diversis S. Francisci familiis: S. Luciae in Silice, SS. 4. Coronatorum, S. Magdalenae ad Cursum, S. Catharinae a Funariis, 7. Dolorum, S. Crucis ad Lungaram, S. Ruffinae a VV. Ordinis S. Augustini: S. Mariae Magdalenae de Pazzis ad 4. Fontes, et S. Iosephi in domorum capite a VV. Carmelitis: Deiparae Fabrorum a VV. Salesianis: S. Ioachimi a VV. Minimis S. Francisci a Paula: S. Antonii Abbatis a VV. Camandulensibus: SS̃mae Annuntiatae ad arcum Pantanum a VV. Dominicanis. Ultimo loco recenseo Templum D. Pauli ad Regulam, quia singularem, praeclaramque mentionem merentur PP. Siculi Tertii Ordinis S. Francisci, qui has sacras aedes tuentur. In illis quotannis celebrabantur Novemdialia in Iesu Cordis honorem, preces ad populum publice legente R. P. Antonio Maniscalchi loci superiore, et jam antea universi Ordinis Praeposito Generali. Idem gravissimus vir primus fuit, qui cultum Cordis Iesus propagavit cunctis primis feriis sextis mensium totius anni. Die Cordi Iesu sacro Eucharisticum Sacrificium magno apparatu, et pompa celebrabatur non sine musicis concentibus ab eodem Maniscalchio, ut erat Musices peritissimus, adinventis. In hac tanta Ordinum Religiosorum in Cor Iesu pietate eminere videtur Augusta Lusitanorum Regina Maria Francisca nunc adhuc (1813) superstes,

BASIS QUARTA.

A LIBRIS IESUITARUM SACRIS, ET CATHECHISMIS POST EXPULSIONEM, ET EXTINCTIONEM RECUSIS.

Perexiguum ego sermonem instituam de libris non sacris a Iesuitis olim vulgatis, qui post ipsorum, expulsionem, et extinctionem iterum, et saepe typis commissi sunt, licet ex istis replicatis editionibus haud exigua adveniat accessio ad gloriam Societatis posthumam; quia per ipsas librorum utilitas, ac fortasse necessitas ad eruditionem augendam declaratur; et nihil laudis iisdem Societatis extinctio detraxit, quam ab eruditis viris promeriti semper fuerunt. Videmus enim hac nostra aetate Iesuitarum scripta typographorum manus crebro fatigare, uti Perpignani Orationes, Becani analogiam, Vanieri Praedium, Rapini hortos, Sanadonis Horatium, Sarbievii Lyrica, Desbillonis fabulas, Pomey indiculum, Coloniae, et Cypriani Rhetoricas, Iuventii poeticam, Emmanuelis, et Lacerdae grammaticas, Wagneri phraseologiam. Vavassoris januam, Salae, et Requeji lexica, Tursellini particulas. His adde Iouberti numismata, Masenii sarcoteam, Makonis, Horvathii, Storchenavii, et Sagneri Philosophica, Tacqueti Geometriam, Danielis Historiam gallicam, Hispanicam Islae, Praedicatorum praecipue Sinensium litteras, Sinensem historiam Maillae, et celeberrimam Marianae historiam bis saltem magnifice Matriti curante Bibliotheca Regia, et Valentiae, pulcherrimis Monfortii typis, sed editore quodam Noguero hominum invenustissimo. Sexcenta alia taceo Iesuitarum opera, ut ad libros sacros accedam typis recusos. Isti enim cum typis vulgentur, ad instituendos bonis moribus populos, et ad per-

fectionem Christianam eos adducendos, magna Episcopos solicitudo premit, quippe majoris momenti res est, quam eruditio profana, ne vulgentur libri nisi, probatissimae doctrinae, et qui Fidelium animis utilitatem afferant. Iccirco typorum repetitio novam secum importat libri commendationem ab Episcopo prolatam. Quot, quantasque hujusmodi commendationes obtinuere Segneri, Menochii, Pinamontis, Nierembergii, Pontisque opera? Quid de Palma dicam, cujus egregia de Christo patiente historia duabus Italicis interpretationibus decorata fuit, quarum una Auctorem habet Cl. doctissimumque virum Ioannem Marchetti. Annum Apostolicum Duquesnei, seu Bonaventurae Giradeau video Parisiis editum fuisse 1803: et Lugduni 1805. meditationes Christianas Crasseti, et annum Christianum Croiseti, sicuti etiam Parisiis eodem anno Christi Imitationem nostri Gonnelieu. Quis enim recenseat editiones operum Ludovici Bourdalue? ego certe praeter plures alias priores, novi illam Leodiensem 1773. Neque semel editae sunt meditationes nostri Griffet, in quarum commendationem testatur prudentissimus, ac Religiosissimus Sardiniae Rex Carolus Emmanuel Ferdinandus pag. 49. operis inscripti *Summarium super introductione Causae Servae Dei* Mariae Clotildis Adelaidis Xaveriae Reginae Sardiniae, quae Neapoli obiit 7. Martii 1802. editi Romae apud Lazarinum Rev. Camerae Apostolicae typographum 1807. fol. testatur, inquam, jurejurando dato *Mariam Clotildem summopere delectari operibus D. Francisci Salesii, et libris asceticis Iesuitarum ... et quotidie legisse meditationes Patris Griffet Iesuitae*. Ex Ephemeride Politica Matritensi (Gazeta) 1784. liquet Matriti eodem anno editas fuisse lectiones Sacras Caesaris Calini, et theologiam mysticam Michaelis Godinez, et est editio decima Hispanica: et anno insequenti 1785. iterum editae fuerunt meditationes pro

singulis diebus Alphonsi Andrade, et Petri Pinamontis meditationes de 4. Novissimis. Matriti etiam, ac Barcinone post extinctam Societatem iteratis typis vulgata sunt Ioannis Bapt. Manni documenta Christiana (*Maximas Christianas*): In exemplo, quo utor edito Matriti anno 1766. per Viduam Emmanuelis Fernandez, haec editio dicitur esse trigesimaquarta Hispanica. Illud mihi praetereundum non est nonnullos ex istis libris tacito auctoris nomine in Ephemeride Hispana laudari. Fortasse timor ex acerba Iesuitarum expulsione adhuc occupaverat artus. Sed hunc timorem generoso animo vir Hieronymus Caballero fortiter contempsit, etiam dum ad Caroli III. latus assideret Summus rei bellicae administer, qui *Principem Christianum* Petri Rivadeneirae suo sumptu typis Matritensibus edendum curavit, et Asturum Principi, Carolo nunc IV. Regi coram nuncupavit.

Gradum denique faciamus ad Catechismos a Iesuitis vulgatos, e quibus multi iteratas editiones obtinuerunt. Si rebus in omnibus magnam Ecclesia attentionem adhibet, ne Fideles erroribus imbuantur, maxima prorsus elucet ejusdem diligentia in Catechismis vulgandis, ne suos parvulos filios permittat pestifero lacte nutriri. Eo curas intendit omnes, ut malesanae doctrinae Catechismi e manibus Fidelium omnino removeantur. Merito quidem maximo; res est magni momenti, in qua Populorum salus agitur, qui a teneris annis pessimas doctrinas edocti, qua via natu grandes easdem dedocebuntur? Ex hoc ergo enixo matris Ecclesiae studio illustrior fit Societatis extinctae gloria posthuma. Siquidem ita ab initio Societatis hanc spartam nostri exornaverunt pro pueris, et rudibus Christiane erudiendis, ut ipso primo saeculo iam eadem Societas recenseat 100. Auctores Catechismorum, et amplius, quos laudat Allegambeus in Bibliotheca, et quibus alios adjungit Sotuellus recentiores;

quibus ego adjicere possem Ferrerios, Bougeantios Reggios, Murillos, Vogelios, Widenhofferos, Calinos, Pinamontes, Bonos, Fierardos, et Calatajudos, cujus *doctrina practica* edita Valentiae 1736. luculentissimo testimonio Academiae Oriolanae, quae tota Patrum Dominicanorum est, approbatur summo cum encomio Auctoris, et hac summa laude, qua Societatem doctissimi, et religiosissimi illi viri exornant: *Societas Iesu non est Ordo qui ementitis laudibus exornatur, sed qui sine contentione plus Ecclesiae inservivit*. Tanti habebatur apud Socios hoc Doctrinae studium: in quorum laudem silendum non est Canisii *Summam doctrinae Christianae* primitias post Fundatoris *Exercitia* calami Iesuitici fuisse. Neque exigua laus fuit Societati, quod plures Catechismi Superioribus jubentibus vulgati fuerunt. Ita Canisii Catechismus jubente Ferdinando I. Imperatore: Bellarmini Clemente VIII.: Acostae Concilio Limano III.: Macherentini Archiepiscopo Trevirensi: Costeri Senatu Coloniensi: Gagliardi D. Carolo Borromaeo: Didaci Ruiz de Montoya Episcopo Cordubensi Francisco Reynoso: Hieronymi Domenec Prorege Siciliae ad Siculorum usum: Honorati Rio Francisco Lopez de Mendoza Episcopo Elnensi: Nierembergii jubentibus Episcopis iterum typis dari, in templis publice legi, etiam inter Missarum solemnia loco concionis, quando illa non habebatur: Ioannis Plazae jubente Concilio Mexicano: Ledesmae jubente Synodo Petricoviensi: Anonymi jubente Blasio Serrate Episcopo Tirasonensi: Makeblidii Archiepiscopo Mechlinensi in usum Provinciae et Sufraganeorum: Martini Couvreur Luca Brugensi Vicario Audomarensi: Petri Aegidii Dymá Lloris Episcopo Barcinonensi: Nicolai Cusani, quem Episcopus Maudaurensis, sufraganeus Metensis praecepit loco concionum a Parochis populo recitari etc.

Hanc praeclarissimam laudem a Synodis, et Pon-

tificibus ad Societatem peramanter delatam ne putes omnino cessasse. Eadem hucusque continuata permansit novis, et saepe repetitis Catechismorum Iesuitarum editionibus. Praeter alios quorum editio iterata fuit, uti Bougeantii, qui ex Gallico nostris hisce temporibus fuit latine, et germanice redditus, hodierna quoque die Canisii Catechismus privatos inter omnes eminet in Germania, uti testificatur Illm̃us Paulus Iosephus Riegger in *Institut. Iurisprudentiae Ecclesiasticae*. part. 2. lib. I. §. 13. ex nostro Holl in *Statistica*; itaque crebro typis committitur: Bellarmini Catechismus universa saltem Italia potitur, puerisque addiscendus traditur: immo in Regionibus Orientalibus in earum linguas conversus hortatu Urbani VIII. plurimi est usus. Quid de Hispania, quid de Americanis, quid de Insulis Philippinis referam? Incolae isti omnes non aliis imbuuntur Catechismis, quam Iesuitarum Gasparis de Astete, et Hieronymi de Ripalda, cujus ad magnum Sociorum solatium commemoranda mihi est editio Matritensis post expulsionem adornata ab Eminent. Cardinali Lorenzana Archiepiscopo Toletano; et versio etiam Italica interprete Ioanne Ignatio Barranquero edita Romae an. 1791. Lusitania quoque non alium Catechismum usurpabat in puerorum Christiana institutione, quam nostri Marci Iorge cum additamentis nostri etiam Ignatii Martins. In vexatione vero Carvalhiana in Iesuitici Catechismi locum suffectus ille fuit Colberti Episcopi Montis pessulani, qui jam ab an. 1712. damnatus fuerat a Clemente XI. Amoto vero Carvalho a Lusitaniae administratione, exulavit cum ipso pestilens Colberti Catechismus, restitutusque fuit Iesuiticus, etsi tacito Auctoris nomine. En dimidiam et amplius Orbis partem Catholico lacte ab extincta Societate lactatam. Nullus dubito quin Societatis *exultabunt*, ut cum Davide canam, *ossa humiliata*, dum contempletur ea Christianam pue-

rum institutionem a Iesuitarum Catechismis initium facere, memor praeclari illius dicti ab homine quamvis prophano: *Quo semel est imbuta recens servabit odorem, Testa diu*. Suavissimus catholicae Religionis odor in pueris vix non haerebit iisdem aetate firmioribus. Novit Societas quanti SSmus ejus Institutor Ignatius Catechismos habuerit. Hoc unum ex praecipuis cogitabat esse Societatis munus, cui frequenter obeundo summopere inserviendum esset, doctrinam Christianam voce, ac scriptis declarare. Hinc socios illos duos praestantissimos Lainium, et Salmeronem jussit, etiam dum in Concilio Tridentino nobiles adeo partes agerent, Catechismis explicandis incumbere

Ignatii consilia Societas usque ad expulsionem, et extinctionem voce, et scripto servasti; et nunc etiam extincta laetaris, eadem viri Sanctissimi consilia scriptis saltem Catechismis servari. Quam vere de te cecinit Laevinius Torrentius Episcopus Antuerpiensis doctissimus, et elegantissimus ode illa quae incipit *O grata caelo Sancta Sodalitas*; quid dico cecinit? imo fere divine praedixit de tuis crudelissimis hostibus praesagiens: *Se rabidus male perdet hostis: Qui quo cruentus saevierit magis: Plus inde damni comperiet, videns: Vicisse quos victos putarat: Et cineri superesse vires*. Laetare ergo Societas cineres tuos calere adhuc igniculis salutaribus ad fovenda in populi animis doctrinae Christianae semina. Laetare demum quod omnes per aetates, quibus Ecclesia Catholica non negliget (quod numquam profecto fiet) Filios suos Christianis moribus imbuere, et ad vitae sanctioris vias revocare, tum D. Ignatii Loyolae Exercitia, tum Rodriguezii, Pontis, et aliorum Sacrae Commentationes typis sine intermissione committentur. Dum adversus incredulos, et haereticos arma parabit, Bellarminos, Valentias, Becanos, Gretseros, Barruelios, Fellerios etc. novis formis renovabit: Dum Sacros

Oratores excitare velit, iisdem tyronibus Segnerios, Bourdalovios etc. praeficiet: Dum Sacrorum librorum explanatoribus lucem afferre curet, Salmerones, Lorinos etc. assidue edendos curabit. Neque tibi Societas parum est laetandum, quod, si eruditorum hominum ardor addiscendi nunquam se remittat, eisdem confugiendum est ad Ricciolios, Clavios etc. ut Mathesin omnino calleant. Si delectantur iidem nitore, et elegantia latini sermonis soluti mirabuntur semper Lagomarsinios, Parthenios etc. Si Musarum venustate arripiantur, familiares sibi reddent Rapinios, Ruaeos, Vanierios etc. Ipsi quin etiam aliarum artium cultores opportunissimos sibi adjutores comparabunt, Pozzium egregium de Pictura Scriptorem, et Villalpandum nobilissimum Vitruvii sectatorem, Ulloam et Eximenium Musices peritissimos. Uno verbo; cum in omni litterarum genere praeclara sine intermissione exempla Societas Iesu dederis, illa posteritati imitanda sunt, si cupit ad optatam metam pervenire. Posteritas itaque, cum tot extinctae Societatis libros novis semper, atque iteratis typis in lucem proferri videat, fieri non poterit quin de te, Societas, non quaerat, te omni non studio poscat, tuam non aveat nosse fortunam, tuos non deploret casus, teque ad vitam redire non cupiat. Vota illa sua Davidis votis adjunget, Deum cum ipso deprecans, *Benigne fac Domine in voluntate tua Sion, ut aedificentur muri Ierusalem*: quae exaedificatio si, quod neutiquam reor, minime contingat, tua saltem gloria posthuma ad ultimas aetates producetur.

BASIS QUINTA.

A RESTITUTIONE VIOLATAE FAMAE QUAM SOCIETATIS INIMICI PUBLICE PRAESTITERUNT, VOCE, VEL SCRIPTO, VEL FACTIS.

Qui pectoris humani recessus intime noverit; qui quantum unusquisque sibi, suisque rebus blandiatur optime perspexerit, is profecto facile videbit quam ardua res, difficilisque sit, hominem qui alios calumniis impetivit, se fuisse mendacem fateri velle. Norunt omnes quantum laboris sit in fortunarum, de quibus aliquem deturbavi, restitutione: violatae vero famae vindicatio vix fieri potest a calumniatore. In bonorum restitutione paupertas est acerbius malum, quod restituenti impendere potest; ats in violatae existimationis satisfactione timent omnes proprii nominis execrationem, qua merito calumniatores puniuntur. Itaque ad gloriam posthumam Societatis a calumniis revocationes per ejusdem inimicos editas multum valere nemo certe non asseverabit. Clariores nonnullas, atque illustriores proferam, initio ducto ab antiquioribus, quarum recordatio haud parum levabit, confirmabit que Sodales extinctos in tolerandis recentioribus calumniis undique in Societatem irruentibus.

Barrera, et Castilla non exigua auctoritate Hispani in Urbe atrocissimas calumnias, quas in Ignatium Institutorem, et in Societatem a quodam Augustino Pedemontano excitati, verbo, et libellis disseminaverant, Deo tandem eos vocante, resipuere Societatis innocentiam publice testantes. Quem vero exitum habuerit Pedemontanus, quem reor esse Augustinum Maynardum, plane ignoro. Novi tantum May-

tens, et ad pristinam, firmamque benevolentiam rediit; Iesuitis Gynasium constituit, multumque juvit in Collegio e remoto loco in mediam Urbem transferendo. Ex Dominico Stanislao Alberti in historia Provinciae Siculae par. 1. lib. 4. cap. 17.

Antonius de Muglitio, Episcopus Viennensis, Archiepiscopus deinceps Pragensis, quaedam bona possidendi spe dejectus, Societatem quam antea amaverat, fere odisse caepit; sed rebus prudentius expensis, pristino amore reffervescente, sincere se totum Societatis commodis addixit. Ex Nostro Ioanne Schmidl in Historia S. I. Prov. Bohemiae ad an. 1561.

Antonius Kleselius relicta Societate ac Religione Catholica, acerbe contra utramque declamavit; sed miserante Deo, sua scelera abominatus, errores palam abjecit, et egregio edito libello palinodiam cecinit, et Societatem calamo, ac voce defensitare ad extremam usque aetatem perseveravit. Ex Ioanne Schmidl in His. S. Prov. Bohemiae ad an. 1569.

Archiepiscopus Mechliniensis, et Episcopus Ruremondensis, sed maxime Iprensis (non ille Cornelius Iansenius) qui fraudibus Michaelis Baii circumducti Societatis doctrinam a Lessio nostro defensam condemnarunt, eandem veritatis certiores facti postea defenderunt. Berault-Bercastel in sua egregia historia Ecclesiastica, tomo 19.

Ioannes Berlecherus Lutheranus, cum Augustae innumera in Societatem convicia effutiisset, a Senatu Augustano vocatus, ipso coram fassus est mendacia fuisse, quae blateraverat, et a Societate veniam petiit: quae revocatio jussu Senatorum in Acta publica fuit relata. Ex Nostro Agricola in Histor. Prov. Germaniae Sup. ad annum 1581.

Fridericus Hudenus, Iureconsultus heterodoxus quasdam juraverat se legisse litteras, quae populum Rigensem adversus Iesuitas vehementer concitarunt; sed taci-

tis conscientiae conviciis de suo mendacio dilaceratus, perjurium revocavit, et quod ad sui sceleris paenitentiam summa fuit accessio, haeresim etiam abjuravit. Sacchinus. Hist. Soc. ad an. 1586.

Franciscus Baronius e Societate ejectus, numquam illam destitit maledictis, ac factis lacerare; sed maximis aerumnis confectus, atque suppliciis ob sua delicta a Magistratibus politicis multatus, saniore mente recepta, fassus est saepe has poenas merito se luere, qui Societatem innocentem adeo dire vexaverit. Ex Aguilera in Hist. Siciliae, tom. 2.

Melchior Henlinus Nereshemsani Caenobii Antistes, Animo ita erat alieno a Societate, ut neque ipsius nomen sine stomacho audiret; cognitis vero nostris, colloquiisque habitis, amantissimum se erga Societatis praestitit: Nostris se tradidit meditationibus Ignatianis exercendum, et Templum Societatis Dilinganum proprio aere promovit. Franciscus Xaver. Kropf. His. Prov. Germaniae Super. Decad. 8.

Cardinalis Caesar Baronius nescio quas querelas, et suspiciones habuit aliquando adversus Societatem: sed habitis cum Nostro Didaco de Torres collocutionibus, eâdem qua prius benevolentià Nostros est complexus. Ex Petro Lozano in Historia Provinciae Paraquariae tom. 1. lib. 4. cap. 12. Doctissimus aeque ac Sanctissimus Cardinalis forte exploratum habuit ex Nostris aliquem adversus aliquam suorum scriptorum opinionem scripsisse. Fatendum est Nostrum Aguilera in historia Provinciae Siculae scripsisse Philippum secundum munus imposuisse Nostro Ferdinando Paterno oppugnandi Siculam Monarchiam. Baronii, quod revera ipse praestitit. Sed quid haec ad universam Societatem in causa saltem probabilissima, et jubente Rege potentissimo, et acerrimo Religionis Catholicae defensore? Quidquid illud sit, compertum est apud omnes Baronium honoribus caelestibus Fun-

datori Ignatio decernendis impense studuisse, singularem coluisse amicitiam cum Nostris Bellarmino, Colnago, Sirmondo, Serario, et aliis, uti liquet ex ejus vita eleganter scripta a Hieronymo Bernabeo. Idem Cardinalis religionis Catholicae amplificandae studiosissimus, tum libello supplici, cum etiam voce, ac quotidiano sermone Clementem VIII, cujus gratia florebat, urgere non destitit ad continuanda subsidia alumnis Nostri Collegii Dilingani. Agricola: *Historia Provin. Germaniae Super.* ad an. 1599.

Hoc loco moneor, priusquam ad alios revocantes accedam, ut aliquantulum expendam, quae Eusebius Eranistes de Cardinalis Baronii commentatur judicio circa librum Nostri Ludovici Molinae *de Concordia*. Demonstrarat non ita pridem Noster Livinus Meyer in verissima, et elegantissima historia Controversiarum de Auxiliis quamdam, quae circumfertur Car. Caesaris Baronii epistola ad Petrum Villars Viennae Delphinatus Episcopum adversus celeberrimam Ludovici Molinae concordiam, esse vel omnino confictam, aut saltem mutando, vel adjungendo turpiter interpolatam. Conatur igitur Eusebius epistola 37. sui operis *Lettere Theologico-Morali etc.* genuinam esse hanc Baronii multis argumentis confirmare. Ego vero omissis illis jam a Livino confutatis egregie, duo tantum paucis indicabo. Multum roboris Eusebius putat suo proposito accedere ex Augustino Le Blanc Paschasii Quesnel discipulo dicente in Historia, quam scripsit De Auxiliis, se legisse hanc Baronii epistolam asservatam in Bibliotheca Cardinalis Ricci; idque, adjungit, *se juratum posse asseverare*. Optimus Eusebius juramenti sanctitatis egregius sine dubio cultor, minime dubitat de veritate jurisjurandi, quod Le Blancus *dare poterat* de lecta Baronii Epistola. Miror Eusebium adeo esse Tyronem in Quesnelliana Schola. Non ubique praedicatur, et Pontificum Rom. decretis, et Epi-

scoporum Galliae sententiis, et doctorum virorum judiciis Iansenistas prae caeteris haereticis mendaces esse? nec mirum cum Gallis decantatum proverbium sit: *Mendax quantumquisque Iansenista*? (*Menteur, come un Ianseniste*) uti testatur doctissimus, et religiosissimus Doctor Parisiensis Ioannes Nicolai ex Praedic. Ordine in opere *Advis deliberatif etc.* edito Parisiis 1656. Praeterea ego etiam, ne nimis parce agere cum Eusebio videar, Le Blancum concedo, juratum posse asseverare, vel vera, vel falsa. Summus etiam veritatis sectator juratus profecto non asserit falsa: sed idem ipse fatebitur juratum se falsa posse asseverare. Aliud est *jurare*, aliud se *posse jurare*; hoc etiam boni fateri debent, se falsa jurare posse; illud vero falsa jurare, perjurorum proprium est. Itaque ni multum fallor Le Blancus oratione dolosa usus est, quae forte Eusebium delusit. Altera Eusebii ratio, qua Livinum judicio suo jugulat, innititur tota in testificatione Francisci Martorellii Scribae, seu Notarii Apostolici, ut dicunt, scripta die 15. Maii 1747. jurejurando asserentis epistolam Baronii fideliter a se exscriptam fuisse ex quodam volumine m. s. asservato Romae in Bibliotheca Vallicelliana, et inscripto *Epistolae Caesaris Cardinalis Baronii ad diversos, et diversorum ad Cardinalem Baronium*. Si Apostolicus iste Scriba asseruisset juratus epistolam Baronii in dicto volumine m. s. contentam ejusdem manu fuisse exaratam, aliquid erat Livino laborandum, ut Scribae juramentum debilitaret. Sed belle Livino cecidit, quod Scriba nec verbam ullum faciat de re adeo necessaria; immo ne quidem nominis *Caesaris Baronii* subscriptionem ejusdem manu esse ullomodo dicit. Haec tam in Scriba negligentia, quam in Eusebio silentium nescio quid dubiae fidei, ne dicam monstri alunt. Quam facile Eusebio fuisset suos lectores docere Epistolam, aut saltem subscriptionem esse, aut non non esse Ba-

ronii manu exaratam: Quo monito nullus suspicionibus locus daretur confictam epistolam esse, et in volumen m. s. malitiose intrusam. In ipsa etiam Baroniana Epistola quaedam fortasse homines delicati reperient, non ita sibi consentanea. Postquam dixerat Baronius se Concordiam Molinae legisse, et in ea notavisse *ad 50, et amplius positiones, verba, phrases, quas vel saltem affines esse erroribus Pelagianorum, sive Semipelagianorum ... nemo puto, qui absque privato affectu illa perlegerit, negabit etc.* adjungit Baronius *in quo* (Concordiae libro) *vel saltem quaedam auditu horridula essent corrigenda*. Propositiones affines errorum Pelagianorum, sive Semipelagianorum non *horridulae*, sed *horridae* erant dicendae. Epistolae clausula *Colo omnes* (Iesuitas), *Deus scit, ut Patres*, nimio Iesuitas honore afficit, qui Baronium non ut Filium, sed ut beneficentissimum Protectorem coluerunt. Lectoribus ego juratus assero me simul cum Clar. Carolo Fea, Advocato (die 31. Oct. 1812.) vidisse laudatam epistolam Baronii, sed non Baronii, sed alius hominis manu scriptam et subscriptam, immo charta, et formis multo aetate Baronii recentioribus.

Vichardus, qui Paderbornae imperio potitus Iesuitas, et reliquos Catholicos miserum in modum afflixerat, tamdem captus, et ad supplicium damnatus, Lutheranis erroribus Nostrorum persuasione abjuratis, Catholice moritur, et suum in Iesuitas odium iniquum fuisse profitetur. Ex Nostro Reiffenber in historia Provinciae ad Rhenum Infer. lib. 12.

Iulius Iustinianus, Episcopus Adjacensis a perversae indolis hominibus deceptus, et adversum Nostrum Gasparem Paranimfum incitatus publica eum contumelia affecit; sed cum vir esset multis virtutibus insignis, et antea Societatis amantissimus, se deinde respiciens, et in amanda Societate perstitit, et Paranimfum officiosissimis litteris Clementi VIII, et Prae-

posito Generali Aquavivae commendavit. Aguilera Historia Provinciae Siculae tomo 1. cap. 14.

Marcus la Grua, Episcopus Mazariensis, Socios nostros Collegii Drepitani anathemate sacro perculit, et a piorum communione seclusit: veritate postea facti accuratius excussa, atque penitus perspecta, anathema obliterat, Societati se purgat, derivatque anathematis indignitatem in malas accusatorum artes, qui ad tantam contumeliam innocentibus inurendam stimulaverant. Ex Aguilera tom. 1. cap. 16.

Augustinus Blemmartius a Societate transfuga ad haereticos gradum fecit, quos inter libellos contra Societatem mendacissimos sparsit; sed ad verecundiorem, miserante Deo, mentem traductus, quaecumque dicta, et facta contra Societatem falsa, et iniqua fuisse libenter pronuntiavit. Cordara, Historia Soc. lib. 5.

Archiepiscopus Ulyssiponensis semper et ubique Societati molestus, ne dicam penitus infensus, instante morte, consilio mutato, se totum nostris tradidit, adjutores eos voluit in extremo agone, eorum monitis unice regendus. Ex Cordara lib. X, qui Archiepiscopi nomen tacet; sed compertum habeo fuisse Georgium Almeida vita functum anno 1625, cujus fuit Successor an. 1627. Alphonsus Furtado Societatis studiosissimus.

Ioannes Castrius Indiae Prorex quamvis vir esset laude militari, artibus politicis, et quod satius est virtutibus Christianis clarissimus, sermonibus tamen malevolorum circumseptus, se a Societate alienavit, eidemque minus favere se passim ostendebat. Quam a Societate Castrii aversionem sentiens Divus Xaverius *protinus ad eum adit, suaque illa egregia comitate sermonis, ac demissione animi mitigatum non modo reconciliat, sed etiam devincit in perpetuum Societati*, Turrellinus in vita D. Xaverii lib. 3. cap. 20.

Maximilianus Austrius, haereticorum fraudibus

in Iesuitas, etiam adolescens parcissime propensus, Germaniae Imperator renuntiatus majorem in modum suam in Iesuitas ne dicam malevolentiam adauxit, quia eos noverat minime probare Sacerdotum matrimonia, et usum Calicis pro Laicis; quae duae res summopere expetebantur ab Imperatore, sed plurimis tandem experimentis de Iesuitarum probitate certior factus, indignatione deposita, Pontifici Romano litteras dedit, in quibus praeter alia haec ait de Societatis hominibus ... *Quo rectius, commodiusque possint etiam in posterum instituto suo vacare: cui quidem tam in scholis, quam in Ecclesiis, indefesso doctrinae studio jugiter, ac vigilanter incumbunt etc.* Ex Sochero Nostro in Historia Prov. Austriae ad an. 1567.

Christianus Franckenius, sive Francus a Nostra Societate, et quod deterius est a Religione Catholica, turpiter descivit, et in Societatem mendacissimum calamum strinxit; sed tandem, Deo cor ejus tangente, ad Religionem Catholicam se revocavit, et suorum delictorum veniam a Societate petiit, edita epistola an. 1581. ad Patres Viennenses, in qua suos errores, et defectionem a Societate deplorat. Socherus in hist. Prov. Austriae, et Dominus Paquot in *Memoires pour servir al histoire litteraire etc.* tomo 14.

S. Thuribius Alphonsus Mogrovejo Archiepiscopus Limanus in contentionibus habitis cum Peruviae Prorege, persuasus inimicorum Societatis dictis Nostrum Ferdinandum de Mendoza, reliquosque Nostros Proregis partibus studere, aliquanto se Societatis inimicum praebuit; sed re melius explorata, litterisque Nostri Aquavivae, Regis, ac Pontificis emollitus adpristinam cum Societate conjunctionem rediit. Ex Nostro Iuventio: Histor. Soc. lib. 23. pag. 723.

Ioannes Bezerra ex Iudicibus Tribunalis Inquisitionis Panormitanae ex optimo Societatis fautore inimicum se reddidit ob injuriam, quam ipse putabat si-

bi a Nostris illatam. Factus deinceps certior de Nostrorum innocentia, firmiori amicitia Nostros perpetuo coluit. Ex Dominico Stanislao Alberti in historia Pròvinciae Siculae part. 1. lib. 3. cap. 6.

Thandariascus quidam, homo heterodoxus Nostrum Vitum Pachta apud Iudices reum egerat de vulgato Sacrae Confessionis arcano; sed accusatione rite, probeque discussa ab Episcopo Olomucensi, Cardinali Dietrichsteinio, convictoque mendacii áccusatore, eum Cardinalis ante Iudices sisti jussit, et coram ipsis calumniam recantavit. Ex Nostro Schmidl. Hist. Prov. Bohemia. Pars 2. ad an. 1601.

Senatus Friburgensis in Helvetia malignorum hominum obtrectationibus illaqueatus, facultate concionandi Nostros exuit, pejoraque iisdem minatur, sed auditis, matureque perspectis Nostrorum rationibus, pristinos honores, ac privilegia restituit; imo publicum testimonium linguis gallica, et germanica, typo vulgatum edidit de Societatis innocentia contra quorumdam infamem calumniam; cujus testimonii auctoritate factum est, ut etiam non pauci haeretici liberos suos ad Nostros mandarent litteris, Religione, ac virtutibus informandos. Fran. Xaverius Kropf in Hist. Provinciae Germaniae Super. decade 8.

Guilielmus Reinallius Gallus, nescio quae proditionis consilia adversus Gallos agitare Socios nostri Collegii Bruntrutani maligne commentus fuerat; quaproter Gallorum Duces e Bruntruto Nostros expulere; sed tandem calumniator sui animi saluti consulens accusationem retexuit, liberrime fassus *quidquid contra Iesuitas dixisset, instinctu, impulsuque Praefectorum detulisse: Ipsos Iesuitas puros criminum esse, insontesque omnium*. Voluit insuper hanc suam palinodiam in vulgus prodire; et vocato eodem die Curione Sacro Brutrunti, unoque de primariis Paraeciae Sacerdotibus, et duobus Senatoribus rem publice testatus, e-

xemplum testimonii sua manu subscriptum, eorumdemque arbitrorum nominibus, et signis consignatum Iesuitis tradidit. Ex Nostro Fr. Xaverio Kropf Hist. Germ. Sup. decade 1.

Alphonsus de Avendaño injuriis, ac maledictis Iesuitarum patientiam diu atrociter tentavit; sed melius edoctus, et Iesuitarum probitatis certior factus, suas declamationes acerbas dictis, et factis revocavit; immodum publicam orationem sacram ad populum Vallisoletanum haberet, immensis Societatem laudibus ornavit. Ex Bernardo Sartolo in Vita eleganter scripta Francisci Suarez lib. 2. cap. 9.

Ioannes Baptista Biancus, Senator Tridentinus, qui iniquo semper animo in Iesuitas se gesserat, mortem obiturus, unum e nostris accitum sic alloquitur: *Ego ille, qui toties, qui tam acerbe sum in Vos invectus; qui famae vestrae tamdiu obstiti, en accuso me ipse, et moriens damno. Date migranti hanc veniam Patres, quam nisi a vobis rogem, sperare a Deo non possum. Ignoscite igitur iniquitatem, et mendacia confitenti.*

Bianco Senatori praeiverat Melchior Collegii Sacri Tridentini Princeps (Decanum vocant) si quis alius Iesuitis infensus, moriturus vero Iesuitam arcessivit, cui animi sui arcana committeret; quem ingredientem videns, sic exclamavit: *Grates tibi ex animo ago Benigne Deus, qui indigno, diuque caeco Ministrum tui luminis adduxisti. Hic serenitatem animo reddet. Hic pacato mihi, et tranquillo oculos claudet.* Ex Nostro Kropf in Histor. Germ. Super. parte 5.

Rodulphus Gonzaga Divi Aloysii frater, Castellionensis Marchio, ob levissimi momenti rem, eo furore in Iesuitas exarsit, ut eos a Collegio abire jussisset; sed ad se reversus novo, amabilique amicitiae nodo illam pristinam confirmavit. Ex Nostro Cordara in Hist. Societ. lib. 1. et 2.

Ossunensium Dux Petrus Giron, dum esset Siciliae Prorex infensum in Societatem induerat animum; sed re bene intellecta, atque explicata per Nostros, iracundiam deposuit, et nostros multis beneficiis cumulavit. Cordara historia Soc. lib. 1. et 2.

Guilielmus Pachelinus Burgundus postquam a Societate desciverat, quia in ea ad Professionem 4. votorum admitti non potuerat, contra eandem scripsit, sumpto nomine Theophili Eugenii, *Protocatastasin* quae oppugnata fuit a nostro Ludovico Richeomo, et a Tribunali damnata 16. Martii 1618. Pachelinum multa de Societate querentem Nobiles, ac Praesules Galliae rejecerunt. Alium contra Nostros librum paraverat; hunc Praetor Parisiensis apud Typographum, in cunis suppressit, sustulitque: Pachelinus senior sapuit, ac resipuit, et cum Societate in gratiam rediit, cui moriens testamento suam Bibliothecam reliquit. Ex Alphonsi Huylenbroucq. (cujus verbis utor) in *Societatis Iesu Vindicationibus*. Bruxellis ex typog. Antonii Claudinot. 1715. pag. 212.

Ascanius Castanea, Taurinensis, ab Urbano VIII. renuntiatus Episcopus Insulanensis apud Calabros adeo capitali ferebatur odio in Iesuitas, ut Sacra Cardinalium Congregatio Concilii Tridentini acerbis eum litteris reprehenderet. Sed nihilo modestior, mitiorque redditus, Romam accitus, ibi obiit 16. Dec. 1627. apud Canonicos Regulares S. Petri ad Vincula; sepultus vero fuit apud Patres Minimos D. Francisci de Paula ad Montes. A nonnullis accepi Ascanium iam iam moriturum odio deposito dictorum, factorumque in Iesuitas poenituisse. Sed ut verum fatear, magis mihi optanda, quam est credenda ista Ascanii revocatio. Ex Ughellio tom. 9. Italiae Sacrae; et ex Bollandistis in Vita S. Ignatii pag. 473. qui Ascanium Castaneam modestiae gratia his siglis appellant *A. T*; quae facilem interpretationem habent, scilicet *Ascanius Taurinensis*.

Petrus Guerrero Archiepiscopus Manilanus Vicarii sui Generalis dolosis artibus circumseptus, praeter alia mala, gravesque vexationes Iesuitas a concionibus ad populum habendis prohibuit; postea tamen, ut erat vir plane religiosus, facultate concionandi permisâ, fassus est se Iesuitis innocuis illam negavisse. Ex Nostro Murillo Velarde in historia Philippinarum lib. 2. cap. 2.

Episcopi Manilanus, et Zebuensis in Insulis Philippinis iniquis, falsis que quorumdam narrationibus decepti in ritus, caeremoniasque Sinenses, quae dicebantur a Iesuitis probari, plusquam vehementius invehentes, Urbano VIII. litteras dedere haud modico felle aspersas adversus Iesuitas: temporis decursu iidem de facti veritate melius edocti, suas censuras apud eundem Pontificem revocarunt scribendo *Religione dictamineque conscientiae tenemur Societatis Patres purgare de rebus adeo injuste delatis, et totis nostris viribus eorum innocentiam defendere*. (*Estamos obligados en conciencia a justificar los Padres de las Compañia contra acusaciones tam injustas, y a defender su innocencia, y verdad con todas nuestras fuerzas*).

Si ulla unquam fuit egregia laesae existimationis reparatio, illa profecto fuit, quam fortissimus Christi Martyr Petrus Baptista praestitit pridie, quam martyrium subiret. Veniam itaque a Iesuitis, quos amicissime amplectitur, exposcit factorum, et dictorum, quae adversus illos vulgáverat, confessus se plurimum errasse. De tanti viri vitae sanctitudine clarissimi palinodia hoc unum dicam, illam plus gloriae Iesuitis attulisse, quam sexcenta amicorum elogia. Vide Bollandianos die 5. Febr. et Charlevoix tomo 2. Historiae Iaponicae lib. 8.


Dominicus Fernandez Navarrete non semel in historia Sinica Iesuitarum existimationem conviciis, atque sarcasmis proculcaverat; sed postea Archiepisco-

pus Insulae S. Dominici renuntiatus maledicta benefactis cumulatissime purgavit, et Societati Collegium in urbe Principe erexit, neque his contentus litteras ad Regem Hispaniarum dedit, in quibus Societatem summis laudibus exornat. Vide Dictionarium virorum illustrium Nostri Felleri verbo *Navarrete*: et bibliothecam Echard ex Predic. Ordine: et praecipue nostrum Tellierum in *Defense des nouveaux Chrestiens*, qui dictas litteras affert.

Gabriel de Cuellar, et Mosquera Episcopi Cardenas a conscribendis epistolis, omnia quae in Iesuitas, ut Episcopo morem gereret, scripserat, ac gesserat, revocavit solemniter Cordubae Tucumaniae die 8. Nov. 1651. Legesis Vindicationes Nostri Alphonsi Huilenbroucq.

Ioannes Palafox, dum esset Episcopus Angelopolitanus cum nonnullis ordinibus Religiosis, Franciscanis videlicet, Dominicanis, et Iesuitis acerbas simultates habuit. Quantum aliis Ordinibus satisfecerit, omnino me latet; sed multa gessit deinceps renuntiatus Episcopus Oxomensis reparandis injuriis Societati illatis; qua de re legendus est noster Gabriel de Henao in *Scientia media historice propugnata*, edit. Salmantic. per Antonium Cossio ann. 1665. ubi leges Palafoxium Societatem Iesu pronuntiare *Sanctissimam Parentem, et Religionem*; ibique leguntur etiam haec Palafoxii verba. *Et ego nunc addam, propter singularem observantiam, et amorem, quo colo Sacram Religionem Societatis Iesu*. Idem paulo ante obitum in praefatione operis inscripti *Semanas espirituales* (Hebdomadae spirituales) hac Iesuitas laude exornat: *Atque in Hispania, Italia, et in reliquis orbis regionibus pia ejusdem* (Divi Ignatii Loyolae) *Religio atroci bello communem omnium hostem oppugnavit*. Idem Palafoxius in opere inscripto *Directiones Pastorales* edito Matriti 1668, et quod ipse scripserat 1658, duo-

bus ante obitum annis ita ait capite 6: *Utatur admodum Episcopus Societatis Iesu Patribus, quorum eruditio, et perfectio, et Instituti natura, promptissima est et utilissima via, ut Episcopi magnam sui officii partem adimpleant*. Iam antea in Introductione dixerat: *Nostrorum Parentum aetate D. Ignatius, et D. Theresia admirabili mente, instituens ille, illa restituens duos Religiosos Ordines tantae auctoritatis, renovarunt in Ecclesia primaevum pietatis ardorem*. Iesuitas quoque passim magno studio ad sacras expeditiones, quas Missiones vocant, per Dioecesin Oxomensem obeundas summo studio invitabat. Noster Andreas Mendo in opere inscripto *Statera opinionum benignarum* edito Lugduni 1666, sed approbato a Censoribus mense Iunio et Augusto ann. 1659. (hoc anno denatus est Palafoxius mense Octobri) plurimum collaudato Palafoxio, monet pag. 371. ejusdem cum Iesuitis contentiones neutiquam ab iniquo in Societatem animo ortum duxisse; *quod satis comprobat* (sunt Mendi verba) *eximius favor, et affectus, quo pro sua benignitate magnus ille Ecclesiae Praelatus nunc, cum haec exaro, eos* (Iesuitas) *in sua Dioecesi Oxomensi prosequitur*. Idem Oxomensis nostro Nierembergio permisit, ut eidem dicaret opus *de doctrina Ascetica*, quo in opere plures continentur de Societate Iesu eximiae laudes, maxime pag. 52: a quibus Episcopo infenso dicandis prudentissimus Nierembergius abstinuisset. Extremum testem produco Magistrum Gonzalez de Rosende eruditum Vitae Palafoxianae Scriptorem. Narrat iste elegans Auctor lib. 2. cap. 12. (utor editione an. 1671.) Palafoxium certiorem factum tres Iesuitas in vico ad Oxomam ad hospitium publicum divertisse, eis ad suas Episcopales aedes illico deductis benignissime dixisse omnibus Religiosis, sed maxime Iesuitis nullum aliud esse diversorium, quam Episcopi Palatium. In suo etiam Testamento quod Rosen-



de excribit, minime erubescit Palafoxius fateri se fortasse per ignorantiam familias religiosas in suis vexavisse controversiis. Ex hactenus narratis quis neget Palafoxium suas famosissimas litteras ad Innocentium Papam expunxctas voluisse?

Petrus Jarrigge cum e Societate Apostata in Hollandiam commune Apostatarum domicilium decessisset injuriosum summopere libellum in Societatem edidit, quem inscripsit *Le Jesuite sur l'echafaud* (Iesuita in patibulo). Ad meliorem vero frugem conversus suarum calumniarum paenitens, illas publice retexuit typis Antuerpianis edito libro an. 1650. quo primum illum adversus Iesuitas taxat velut *abortum a sua iniqua conscientia conceptum, ab animo suo melancholico formatum, et a sua vindicta editum*. Obiit in dicta revocatione constans Tutellae (Tulles) apud Lemovicas an. 1670. Ex Nostro Feller in Dictionario.

In summum Nostrae Societatis decus summa cum reverentia appellandus est Ildephonsus a S. Thoma ex praeclarissimo PP. Praedicatorum Ordine Episcopus Malacitanus; non ideo quod revocaverit *Theatrum Iesuiticum*, et primam partem *Moralis practicae Iesuitarum*, quae duo mendacissima opera per insignem illi calumniam afficta sunt a Calvinista Iurieo, et a Iansenianis; sed quia doctissimus, sanctissimusque vir ad depellendam a se tam immanem injuriam, libellum supplicem obtulit Innocentio XI. typis editum, inscriptumque *Catholica Querimonia*, in quo plane demonstrat se nullomodo esse horum operum contra Iesuitas auctorem, eosque plurimis, eximiisque laudibus cumulat. Miror vehementer Eruditissimum Bibliothecographum Echard fere dubitare an *Querimonia* ista genuinus fuerit faetus Malacitani, quin vel minimam rationem suae dubitationis proferat. Nulli ergo sit dubitationi locus, cum mirifice omnes consentiant in una, eademque sententia, Malacitanum verum *Que-*

rimoniae auctorem fuisse. Ipse se se proprio nomine prodit; et ut majorem auctoritatem operi daret illud genuinum declarando, in omnibus exemplis propria manu, non typo, se subscribit *Fr. Ildephonsus Episcopus Malacitanus*. Vivo adhuc Malacitano dicavit Noster Bartholomaeus de Plasencia Provinciae Baethicae Viceprovincialis Crisin Theologicam Nostri Ioannis de Cardenas vita functi; ubi Episcopi laudes magnifice persequitur; et in his uti egregiam, atque excellentem praedicat, quod Episcopus pietate, et litteris praestans adversus Societatis hostes typis ediderit *Querimoniam Catholicam*. Sed quod magis dubitantem jugulat est decretum nostrae Congregationis XIII. generalis, quo ipsius Congregationis nomine ad Illmum Malacitanum scripta fuit Epistola in gratiarum actione, quod in Sua ad Summum Pontificem *Querimonia Catholica* causam suam cum causa Societatis tam praeclare conjunxisset, ut adversum ejusdem obtrectatores nihil scribi posset *efficacius*; ut ipsa Congregatio loquitur.

Didacus Collado, et si unius tantum testimonio constet ejusdem (utinam non fuerit sera) revocatio, locum etiam inter poenitentes habet, ut ejusdem honori consulamus, sicut ipse animae suae saluti consuluit, dum naufragio cum caeteris vectoribus periit, uno salvo Indo, qui Colladum affirmavit interiisse eximiis significationibus publice editis sincerae detestationis suorum erratorum; quae plurima fuerunt, et in suum praeclarissimum Ordinem, et in nostram Societatem, quam verbo, et scripto proscindere nunquam cessavit. Vide historiam Provinciae S. Rosarii Ord. Praedic. in Insulis Philippinis editam 1640; libro 2. cap. 56. pag. 371. Vide etiam Nostri Alphonsi Huylenbroucq. *Vindicias* editas Bruxellis typis Antonii Claudinot. 1715. cap. 8; et opus inscriptum *Defense des nouveaux chretiens, et des Missionnaires de la Chine* ...

contre deux livres intitulez La Morale pratique des Iesuites, et l'Esprit de Mons. Arnauld. Seconde edition. Parisiis apud Stephanum Michallet 1688.

Singulari quoque honore affecta fuit Societas ex revocatione Cardinalis Caelestini Sfrondati. Cum in primis editionibus tum *Regalis Sacerdotii*, cum *Galliae vindicatae* Ludovicum Maimburgum oppugnasset, nonnulla tanto viro in scribendo exciderunt, quae in Societatis dedecus facile contorqueri possent. Facti dolens piissimus Cardinalis medicinam huic malo paravit in 3. editione *Regalis Sacerdotii*, an. 1694. in 4. typis Monasterii S. Galli excussore Matthaeo Mutter; in *paraenesi praevia ad Lectorem*, ita mentem suam exprimit doctissimus, ac religiosissimus Princeps ... *Quae in utroque libro* (nempe *Regale Sacerdotium*, et *Gallia, vindicata*) *de Patribus Societatis dicta sunt, ea de aliquibus, et particularibus tantum intelligi oportere: nulla autem ratione de toto Societatis corpore. Societatem enim ipsam quod attinet, tantum abest eam Pontificiae auctoritati adversatam esse; ut potius dicendum sit de tota Christiana Republica, ipsaque Apostolica Sede optime, et hactenus meritam esse; et in hac ipsa causa, quam prae manibus habemus, Pater Tyrsus Gonzalez Societatis Generalis egregium opus 4. propositionibus Parisiensibus profligandis adornasse, typisque edidisse, quod tamen ne in publicum prodiret spes cum Gallo componendi effecit; ut taceam insigne aliud opus Patris Nicolai Pallavicini Innocentio XI. dicatum. Ergo, ut dixi, quae ab aliquibus e Societate admissa sunt in ipsam Societatem nulla ratione redundare possunt. Quamvis enim P. Zerle magnus Appamiarum Vicarius in Epistolis suis ad Pontificem Romanum datis aliqua, recitet quae ipsum Societatis Institutum notare videntur; crediderim haec illi* (*ut aliis quoque Sanctissimis viris*) *calamitatum, quibus conflictabatur, ac ardore disputandi excidisse, quae pacato postea, compositoque ani-*

mo non scripta maluisset; cum alioquin et ex Sanctorum Pontificum diplomatibus, et rebus toto Orbe praeclarissime gestis, ipsaque experientia teste negari haud possit, Societatis Institutum sanctissimum, optimeque de Christiana Republica meritum esse hodieque mereri tot libris in omnibus Scientiarum facultatibus eruditissime scriptis; tot peccatoribus ad Christianam vitam revocatis: tot sacris expeditionibus in remotissimas Orbis plagas pro Religione susceptis.

Ferdinandus Trexo de Sanabria ex praeclarissimo Ordine Minorum S. Francisci Episcopus Tucumanensis vir doctrina, et pietate excellens, obtrectatoribus Societatis in ejus aurem jugiter insusurrantibus, aliquando se Iesuitis paene infensum praebuit; sed novis de Iesuitarum innocentia documentis edoctus hanc offensionem egregiis in Societatem beneficiis dispulit; Collegia Iacobaeum, et Cordubense erexit; et in hujus Templo sepeliri se jussit sanctissimus, doctissimusque Antistas. Ex Nostro Lozanio: tom. 2. Historiae Paraquariae.

Quamvis ego cum Iesuitis omnibus Hieronymum Baptistam Lanuza Societatis laudatorem, semperque Societati faventem habuerim; cum tamen Augustinus Le Blanc in sua Historia Congregationum de Auxiliis certos libellos supplices afferat a Lanuza Regi Philippo II. oblatos adversus Iesuitas, operae pretium est hoc loco ad revocantes pertinente Lanuzae meminisse; non quia credam eum aliquo tempore Iesuitis fuisse parum aequum, et deinceps veritate cognita eos laudasse, et adamasse; sed ut Augustino Le Blanc satisfaciam. Quod Ven. Lanuza Societatem maximi habuerit praeclaro, publico que testimonio asseverat Hieronymus Fusser gravissimus vir, ex eodem PP. Praedicatorum Ordine Ven. Lanuzae intimus domesticus, et conscientiae arbiter, in commentario de ejusdem. Ven. vitae, dum refellit invidorum calumniam con-

fingentium quamdam interpretationem Vaticinii S. Hildegardis a V. Lanuza factam in dedecus Societatis. Idem Venerabilis, teste Echardo eruditissimo Bibliothecae Dominicanae Scriptore, charissimum sibi habuit Paulum de Rajas Soc. Iesu, cujus est elegans epitaphium in Lanuzae laudem quod Echardus ipse ex scribit. Praeterea idem Ven. in tomo 3. Homiliarum edito Barcinone per Sebastianum Corbellas an. 1633. haec ait de D. Ignatio, et de Societate dum de Conversione Boni Latronis agit homilia 43, pag. 276. §. 6. „ Deus Ecclesiae suae consuluit per inclytum Patrem S. Ignatium de Loyola qui ... prophana militia deserta Militiae Sacrae Christi noment dedit, Domino in illo ferventia excitante desideria famulatus sui, ex quibus originem traxit institutio Societatis Iesu quae ex iis Ordinibus Religiosis est, quos habet, et habuit Ecclesia virtute florentes; et cujus est peculiare studium, ut Sacramentorum SS. usum persuadeat, et ut tueatur auctoritatem Sedis Apostolicae, et Romani Pontificis „ (*Proveyo Dios del glorioso Padre S. Ignacio de Loyola quae ... dexando la milicia terrena se consagrò por Soldado en la de Christo, comenzando el Señor a despertar en el los de seos vivos de su servicio, que dieron principio a la fundacion del Instituto Sagrado de la Compañia de Iesus que es una de las Religiones floridas, que tiene, y ha tenido la Iglesia con singular cuidado de persuadir el uso de los Santos Sacramentos, y defender la autoridad de la Sede Apostolica, y Pontifice Romano* „.) Ex dictis, quis non miretur Augustinum Le Blanc libellos illos supplices faetus esse proprios V. Lanuzae asserentem. Sed hominem eruditum quidem, sed Quesnellii dolis circumseptum invicte, et eleganter perstringit Livinus Meyer in historia Controversiarum de Auxiliis, quam edidit sumpto nomine Eleutherii, et maxime in Vindiciis, quas proprio nomine declarato vulgavit. In

his evidenter demonstrat Livinus mendacia, calumnias, et convicia, quibus dicti libelli inverecunde Lanuzae adscripti, sunt plane, omninoque conferti atque propterea indigni non dicam viro religioso, sed etiam homine non nimis, sed mediocriter improbo. Sed fingamus Ven. Lanuzam auctorem. Quid ergo dicendum? Dicam V. Lanuzam Episcopum Balbastrensem, et Albarracinensem magnis lituris delevisse, quae Pater Lanuza peccaverat: quod non viderat Pater Lanuza, dicam vidisse Episcopum Lanuzam, Iesuitas nempe toto pectore incumbere, ut populus Christianus a sceleribus ad pietatem revocetur jugi Sacramentorum usu: dicam Episcopum Lanuzam Iesuitas vidisse non solum obedientissimos Apostolicae Sedi, et Romanis Pontificibus, sed etiam totis nervis eorumdem auctoritatem defendere, quod Pater Lanuza non viderat: dicam postremo Episcopum Lanuzam sanctissime, planissimeque revocasse, quae idem nondum Episcopus iniquissime effutierat: et ex hac revocatione adjiciam magnam fuisse accessionem factam ad Societatis decus, et gloriam. Mihi monendus est Lector laudatum locum homiliae 43. de S. Latrone bene fuisse conversum a Clar. Patre Onesimo de Kien ex praeclarissimo PP. Cappuccinorum Ordine in sua interpretatione latina Homiliarum edita Antuerpiae per Guillielmum Leestenium an. 1649, hoc tantummodo discrimine, quod Onesimus homilias distribuit in 4. tomos, et in tomo 4. homilia 44. agit de S. Latrone. Post Onesimi interpretationem aliam vulgavit Ioannes Freiilinck, Moguntiae per Ioannem Gotifredum Schonweteri, quam ut magis accuratam laudat Cl. Echardus. De interpretatione Gallica per Ludovicum Amariton parum est curandum ob neglectas interpretum leges.

Sinceram quoque palinodiam recantavit Guilielmus Felle ex Ordine Praedicatorum de criminationibus illis, quibus Iesuitas exagitavit in duobus operibus ab

eo editis *Fel*, scilicet, *Iesuiticum*, et *Lapis Theologorum*. Errata itaque sua emendaturus conscripsit opus titulo *La ruina del Quietismo, e dell'amor puro*, quod dicavit Clementi XI, et Philippo V. quorum sacris nominibus reparatio famae Iesuitarum amplissime nobilitatur. Ibi Felleus plurimis laudibus Iesuitas extollit, et de se ipso ait: *apprime vero Patribus Societatis Iesu addictissimus*. Vide Echard, et Trevoltianos 1702. mens. Septemb.

Iosephus de Antequera, cum esset ob sua scelera Limae in Peruvia anno 1731. jugulandus tot calumniarum, quibus Iesuitas fuerat insectatus, falsitatem confessus, ab iisdem suorum mendaciorum veniam deprecatur, eosdemque voluit sibi adjutores in illo extremo vitae agone. Ex Nostro Fran. Xaverio Charlevoix elegantissimo historiae Paraquariae Scriptore. lib. 18.

Celeberrimus Vincentius Thuillier Benedictinus ex Congregatione S. Mauri in sua altera epistola contra appellationem Iansenianam (*Seconde lettre contra l'appel*) Iansenismum prius a se defensum et atrocia in Societatem dicteria reprobat, quam vir vehementer paenitens praedicat illustrissimos viros edidisse, et morum integritate conspicuos: eam addit in informanda optime juventute, id beneficium tum Ecclesiae, tum Reipublicae praestare, ut nulla satis appareat digna tanti beneficii remuneratio.

Petrus Quesnel, cognomento Bernardus, extremum spiritum Hagae Comitum redditurus an. 1774, aeternae sui animi saluti consulens jussit flammis addici Historiam m. s. Societatis Iesu, quae 20. volumina complectebatur, et in qua conficienda vitam fere omnem transegerat; summopere dolens iisdem piacularibus flammis tradi non posse, duos primos tomos, qui typis vulgati fuerant Ultrajecti, vel Hagae anno 1741. Ex *Iournal historique et litteraire* edito Lucemburgi an. 1774; tomo 139. pag. 313.

Ioannes Gomes Freire de Andrade deinceps Comes de Bobadella urbis S. Sebastiani in Brasilia Praetor, cum ad Sebastianum Iosephum Carvahlo Marchionem de Pombal crudelissimum Lusitaniae Carnificem scripsisset in populis Paraquaricis, quos Iesuitae Hispani ad vitam civilem, et Christianam informabant, copiosissimas argenti, aurique venas latere, facile a Rege Lusitano possidendas commutata cum hisce populis Colonia Lusitana Sacramenti; stimulis fortasse conscientiae postea punctus, eidem Carvalho confessus est se fuisse deceptum in his quae de metallis, et de Iesuitis scripserat. Ex eleganti *Vita Ven. P. Emmanuelis Correae Soc. Iesu ... una cum adjectis animadversionibus historicis*. In fano S. Martini 1789. Vide etiam historiam Paraquariae nostri Charlevoix ex gallico in latinum conversam, et auctam Venetiis editam 1779, fol. apud Franciscum Sansoni.

Antonius a S. Iosepho Augustinianus ad Episcopatum S. Ludovici in Maragnonia evectus, ex Lusitania transmisit alienato in Iesuitas animo, permotus a calumniis, quas verbo, et scriptis Lusitaniae Tyrannus Carvalho per Europam universam disseminabat; cognitis ergo, usuque tractatis Maragnoniae Iesuitis, ita sententiam mutavit, ut non solum iisdem amicissime uteretur ad Episcopalem suam Provinciam recte administrandam, sed quod potius est Carvalhio adnitenti eum Iesuitarum nomen reddere infame, fortiter obstitit, maluitque exilio multari, quam Iesuitarum innocentiam pessumdare. Ex eadem Vita.

Theodoricum Pedrini cogitaram missum facere, quia licet jurejurando coram Episcopo Pekinensi acriter eum objurgante, confessus ille fuerit se calumnias contra Iesuitas ad S. Congregationem de Propaganda scripsisse, homo tamen levissimus jurejurando violato, ad ingenium rediit. Haec, ut verum dicam, non parum me impellebant, ut de Pedrino in hoc paeniten-

tium ordine tacerem. Sed cum Renatus Balduinus (Ludovicus de Losada, Scriptor nobilis) in *Aucupio specioso* edito Leodii 1744 typis Viduae Nicolai Betsteintz Theodorici poenitentiam asseveret his verbis ... *Notam facerem retractationem Theodorici Pedrini, celebris apud Sinas Missionarii, et antehac Iesuitarum accusatoris acerrimi, quam nuper ipsemet Romam ad Sacram Congregationem transmisit conscientiae suae consulens, ut honorem Iesuitis insontibus restituerat*: Hanc ob causam Pedrino vel ab aetate, vel a conscientiae stimulis de pravitate deducto locum inter revocantes adscribo.

Minime dubitem, quin Domino Brisaciero locum inter poenitentes concedam. Ipse non minus, immo si mavis, amplius, quam Abbas Courcier Doctor Sorbonicus, et in Collegio Canonicorum Parisiensi Theologus Professor, et amplius etiam quam Illm̃us Franciscus de Laval primus, et Sanctissimus Episcopus Quebecensis, Societatem eximiis elogiis ornavit in approbatione subscripta 13. Nov. 1687. operis inscripti *Defense des nouveaux Chretiens etc.* Verum inficiandum non est eundem Brisacierum dictam approbationem post annos 13. revocasse, pagella subscripta Parisiis 20. Apr. 1700; quod profecto neque Illustrissimus Lavalius, neque Courcierus egerunt. Sed non parvi habendum est, quod in hac approbationis revocatione nihil expresse adversus Societatem proferat, licet iam se ad Ultrajectinos inclinaret. Ex hac se factione Schismatica, propitio Deo, se proripuit constutionem Apostolicam *Unigenitus* sincere amplectendo, de quo conqueritur Illm̃us Caylus, Episcopus Altisiodorensis unus ex Appellantibus in opere *Recueil de divers temoignages ... en faveur ... de la Catholicitè ... de l' Eglise Catholique des Provinces-Unies*. Ultrajecti apud G. Vander Weyde 1763; tomo 1. pagini 480: 481, et 482. Immo Dominus Philopald pag. 577, et 578. ejusd. to-

mi conqueritur Brisacierum, et Dominum Tibergen non solum *Unigenitus* Constitutioni adhaesisse, sed etiam omnibus conari viribus reliquos Seminarii Parisiensis Missionum Exterarum eidem Constitutioni parere. Abrupta ergo in Ultrajectinos propensione, quid mirum Brisacierum, si non scriptis, quod mihi certum non est, factis saltem ad Iesuitarum amicitiam rediisse.

Michael Calvò Hispanus, Balearicus, ut supplicium ob sua flagitia meritum effugeret, Iesuitis Brasiliensibus multa crimina imposuit, ut Iudices sibi benignos redderet, quos putabat Iesuitis esse parum amicos; sed cum haec calumnia parum proficeret ad supplicium vitandum, adhibitis testibus palam confessus est suam contra innocentes confictam calumniam Ticini 22. Iul. 1763. Ex Nostro Reiffenberg in Historia Provinciae ad Rhenum inferiorem lib. 16.

Christophorus Ramirez de Fuenleal extremo cum agone vitae luctans, quae contra Iesuitas mentitus fuerat de venis auri ad flumen Uruguay coram testibus idoneis revocavit. Ex Nostro Peramas *de Vita et moribus etc.* pag. 141.

Franciscus Moneti ex ordine Minorum Conventualium, jucundissimus Parnassi cultor, expeditionem sacram, quam Missionem vocant, a Nostris Cortonae obitam mordaciter nimis riserat poematio inscripto *Cortona convertita*; quod iterum typis Florentinis (falso Parisinis dictis) vulgatum fuit 1759; sed odio postea Christiano in satyram captus illam revocavit alio poematio inscripto *La Cortona nuovamente convertita*, quod Iesuitis dicavit, an. 1709. ex Dictionario Nostri Carrarae.

Ioannes Petrus Franciscus Ripert de Monclar Procurator Generalis Senatus, quem Parlamentum vocant, Aquarum Sextiarum (Aix) insanissimus si quis alius adversus Bullam *Unigenitus*, et Societatem declama-

tor, e vita excedens mense Febr. 1773, declamationes suas solemniter retexuit, confessus Bullam *Unigenitus* esse dogmaticam, et irrevocabilem, Iesuitas, doctrina, et pietate praestare, eorum Institutum esse pium: summopere dolens operam se contulisse suam ad Societam Iesu adeo utilem abolendam. Injuxit quoque Domino Iouval Vicario Paraeciae S. Saturnini, qui extremam ejus confessionem exceperat, ut e suggestu Sacro haec sua revocatio audiente populo legeretur, quod Vicarius praestitit 14. Feb. 1773, dum demortuo funebria justa solverentur: eodemque die coram Episcopo Aptae Iuliae (Apt) testimonium sua manu subscripsit de hac solemni, religiosaque Monclaris palinodia, quam, omni auctoritate corroboratam Episcopus misit ad Clementem XIV. In cassum ergo Voltairius, vilissimum caput, dictam revocationem tamquam suspectam traducit. Vide Nostri Feller Dictionarium Virorum illustrium verbo *Ripert*; *et Clef du Gabinet des Princes de l' Europe* mense Aprili 1773. pag. 13. edito Lucemburgi 1773. apud Haeredes Andreae Chevalier.

Cardinalis Caprara Londinum missus, ut Iesuitas vexaret, praecipue vero ut ingentem colligeret pecuniarum vim a Iesuitis in Trapezitarum mensis collocatam, (ita ab hostibus Societatis maligne vociferabatur) postquam exquisita maximaque diligentia nihil inexpertum, et intentatum reliquit, ut montes illos aureos superando capesseret, de calumniae dementia certior proprio experimento factus, revocata prima opinione, quam etiam ipse conceperat, bonae Iesuitarum existimationi sedulo, religioseque consuluit, sanioresque suis prudentissimis consiliis Societatis adversarios reddidit, ne temere fidem somniis jucundissimis haberent.

Cardinalis Ioa. Andreas Archetti, qui inspectionem Collegii Germanici Romae sibi injunctam in abo-

lenda Societate duriter obierat, in Poloniam missus omnia vi maxima tentavit, ut Iesuitis Polonis Magnae Catharinae Russorum Imperatrici subjectis extinctionis decretum denuntiaretur; sed summa Maximae Catharinae in conservandis Iesuitis constantia hominis alioqui prudentissimi impetus retardavit, immo ita ejusdem animum mollivit, ut Legatus adeandem Augustam missus Petropoli Iesuitam Stanislaum Benislawski Episcopum inauguraverit, et aliis officiis haud exiguis Iesuitas fuerit prosecutus. In summa Praefectura Provinciae Bononiensis, quam decem continenter annos obivit, easdem benevolentiae significationes erga Iesuitas exhibuit: rebus in omnibus eisdem favit; et in his charissimos sibi habuit Iosephum Pignattelli, et Iesephum Heredia. Denique in Conventu Romae habito a Pio VI. ad defendendam ditionem Pontificiam ab irruptionibus Reipublicae Gallicanae omni laude praestans, optimusque Cardinalis praeclare dixit *Helveto milite ad defensionem utendum*, *Societatemque Iesu ad conservandam Religionem esse restituendam*.

Andreas Gioannetti Cardinalis, et Archiepiscopus Bononiensis animo irato, atque percito, nescio unde natus, et exortus fuerit, Iesuitas praecipue Hispanos afflixit, eorum doctrinas de moribus tam in publicis, quam in privatis caetibus reprobavit, omnibus abnuit concionandi, et excipiendi confessiones facultatem, aliaque infestissime egit. Sed fieri non poterat hominem vere Religiosum perdiu in hac offensione versari. Reipublicae Gallicanae perturbatio mitiorem mentem Gioannettio injecit. Gallo milite Bononia potito ad salubriora omnino conversus, tot malorum origine attentissime perpensa, Iesuitis omnibus potestatem amplissimam concessit munera quaeque Societatis propria exequendi; idque non habita, ut mos est, praevia de doctrina, et aptitudine indagatione, et experimento. Nostros Hispanos Rochum Menchaca, et

Ioannem Iosephum Cortazar designavit duobus Virginum Sacrarum Collegiis conscientiae arbitros, ac moderatores. Denique Iesuitas Hispanos in Patriam benignitate Caroli IV. Regis remeantes testimoniis sua manu subscriptis de perpetua morum eorundem integritate amicissime munivit. Hac animi sane pii, ac religiosi lenitate oblitteratam voluit pius, sanctusque Cardinalis priorem in Iesuitas asperitatem.

Cardinalis Franciscus Antonius de Lorenzana in litteris Pastoralibus, quas Mexici edidit titulo *Cartas Pastorales, y Edictos etc.* an. 1770. ex typographia Hogal, quaedam in Societatem pronuntiavit animo per pauce amico, vel quia in rebus Societatis fere hospes, vel quia ut erat in Veteratorum dolis nihil versatus Summi Administri artibus fuerat deceptus. Id enim tunc agebatur, ut decretum Regium, quo Iesuiticam doctrinam in publicis Scholis edoceri vetabatur, Mexicani quietis animis acciperent. Verum non multos post annos cum intellexisset, quo inimicorum Societatis studia tenderent, plura, neque ambigua bene affectae erga eam voluntatis indicia praebuit: nam et plurimos habuit, fovitque semper domesticos, Societatis, ejusque doctrinae studiosos, et in his Illus. D. Athanasium Puyal, quem Suffraganeum iam Archiepiscopus Toletanus sibi elegit, et in templo principe Toletano SS. Ignatii de Loyola, et Francisci Xaverii statuas marmoreas pro ligneis posuit; et Catechismum Hieronymi Ripaldae Societatis Iesu contra nonnullos novatores Theologos tutatus est, ac magis, magisque in vulgus edi, ac celebrari curavit: Analogiam quoque Novi Testamenti Martini Becani Societatis Iesu suis expensis excudi mandavit.

Secundis etiam typis subjici jussit Matriti an. 1791 egregiam Litteram Pastoralem SS. et doctissimi Domini Francisci Valero, et Losa Archiepiscopi Toletani, qui totus fuit Iesuitis deditus. Hanc Epistolam

Cardinalis Lorenzana ornavit gravi, vehementique hortatione ad Clerum Toletanum in commendationem, et laudem doctrinarum Epistolae Valerianae, *quam dignam* asserit esse, *ut Episcopi omnes eam tamquam exemplar sibi subjectis proponant ... dignam, quae auro caelaretur, dignam aeterna memoria*. Approbabat ergo Cardinalis laudes, quibus Archiepiscopus Valerius Scriptoribus Iesuitis tribuit. Undecim ex his nominat, et undecim etiam ex extraneis diversorum Ordinum. Iesuitas Claudium Lingendes vocat Valerius *doctum*, Ioannem Osorio haud semel *piissimum*, Robertum Bellarminum *Venerabilem, et magnum Cardinalem*, Gasparem Sanchez *Venerabilem ... maxime eruditum, et divinitus edoctum*, Cornelium a Lapide *magnum auctorem*, Tobiam Lohner *eruditissimum*, Paulum Segneri *Apostolicum Patrem*, et Catechismum Ripaldae *Admirabilem, quo melior ad propositum finem scribi non potest*. Approbat etiam Cardinalis, quae in dictae Epistolae argumento duodecimo (Motivo) pag. 168. dicitur de opinione minus probabili quae satis est ad christiane operandum. Approbat etiam quae de gratia, et auxilio ad operandum explicat pag. 196. Claudius Lingendes, qui certe non Praedeterminationis, sed Scientiae mediae assertor fuit. Approbat etiam, quae dicuntur de attritione pag. 212, quae satis est cum Paenitentiae sacramento ad peccatoris justificationem. Neque Eminent. Lorenzana hac editione Matritensi contentus, qua Hispanis ostendit, qua esset ille mente erga Iesuitas, et eorum doctrinam, maxime gavisus est Iesuitam Petrum Aznar interpretatione italica edidisse Valerianam epistolam, qua etiam ratione Italiae universae notum reddebatur Cardinalem Lorenzanàm nihil discrepare a Valerio in laudandis Auctoribus Societatis Iesu, et ejus doctrinis amplectendis; Aznarioque suppenditavit abunde plusquam opus erat ad editionem faciendam. Praeterea exploratissimum est, Aulaeque Romanae probe co-

gnitum, eum, cum a Catholico Rege Carolo IV. ad Pium VI. Legatus Romam venit, eundemque in exilio comitatus fuit, et deinde deposito Episcopatu Romae usque ad obitum manentem semper, et palam coram Cardinalibus, et Praesulibus optima quaeque fuisse de Societate locutum, Iesuitas ad colloquia familiaria admisisse, nonnullis etiam amicissime usum; in his Faustinum Arevalo quotidie convivam voluisse, quo cum res suas consulebat, et quem moriens testamenti Curatorem designavit. Praetereo alia, quae in eleganti Laudatione ejus Funebri Romae typis edita Faustinus Arevalo indicavit. Itaque si in antiquis suis scriptis contrarium aliquid illi excidit, publicis factis piisissimus Cardinalis cumulate revocavit.

Stanislaus Siestrzenicewicz Episcopus Mallensis, qui plura molitus est, ut Iesuitas Russianos denuntiato Brevi Societatis vastatore, funditus eliminaret; salubrioribus tamdem consiliis instructus, deposita sua perdendi Iesuitas pertinacia, tyrocinum iisdem erigendi facultatem plenissimam concessit. Ex Ignatio Philaraeto lib. 4. *Apologiae pro Iesu Societate in Alba Russia incolumi*.

Felix Tovianskius ex Ordine Minorum Conventualium inauguratus Episcopus Carpakensium, et ab Ignatio Massalkio Episcopo Vilnensi accitus Vicarius, plura, et acerba egit, dixit, et scripsit adversus Iesuitas Russianos, illos uti Schismaticos traducens: deferbuit tandem tantus in Societatem malignus aestus, et odii, nescio an dicam capitalis, locum lenitas in Iesuitas occupavit; multisque datis benevolentiae significationibus, Polociae, quo se contulerat valetudinis recreandae gratia, in Collegio Societatis extremum vitae spiritum edere voluit. Coram assidentium et Conventualium, et Iesuitarum corona identidem sublatis in Caelum oculis, peramanter testificatus est Felices esse Iesu socios, qui in statione vi-

tae religiosae gliscente saevissima procella durassent. Inter haec, et alia multa benevolentiae in Iesuitas argumenta ex amicisissimis eorum amplexibus ad Superos evolavit; et in eodem Iesuitarum Templo justis eidem honestissimis persolutis XII. Kalen. Iulii 1782. laudatione funebri habita a Nostro Martino Zuezzenckio nobili Oratore fuit magnifice commendatus. Ex Ignatio Philaereto in lib. 2. *Apologiae pro Iesu Societate in Alba Russia incclumi*.

Iosephus Gorani malae conceptae Reipublicae Gallicae, fautor si quis alius ardentissimus, de Italia scripsit titulo *Memoires sur l'Italie* ubi in Pontifices Romanos, et in Iesuitas virus acerbissimum effudit; Insania vero mentis remissa omnia sua maledicta execrari publico scripto laborat. (*Annales philosophiques, et litteraires, ou suite des Annales Catholiques. Tome premiere. Paris. Le Clerc.* 1800.) Quod optimum consilium quam primum exequatur poenitentem Goranium deprecamur.

N. Zschokke Auctor ephemeridos inscriptae *Schweizer-Bothe* (Nuntius Helveticus) insanissime in Iesuitas Neapolitano Regno Bulla Pii VII. restitutos furens, maledictis illos proscindit; sed jussu Senatus Argoviae apud Helvetos maledicta publice recantavit. Ex Ephemeride inscripta *Il Corriere Milanese*, num. 85. ann. 1804. pag. 686; et ex Ephemeride Veneta inscripta *Notizie del Mondo*. an. 1804: num. 83. pag. 671.

Claudius Fran. Xaverius Millot, de quo in meis Supplementis ad Bibliothecam Sotuelli, relicta Societate ad Incredulorum castra se contulit, quibus morem gerens, plura impio calamo scripsit; sed imminentis mortis terrore perculsus, quae ab eo scripta fuerunt, pie Christianeque revocavit. Obiit 1785.

Famosus Incredulus Boulanger auctor operum *Christianisme devoilè: Despotisme Oriental; et L'Antiquitè devoilèe*; in quibus Scriptoris ignorantia cum ejusdem

in Christianam Religionem odio contendit, iam iam animam efflaturus ad salubriora consilia se vertens apud Dominum Lambert Canonicum S. Honorati Parisiis errores omnes ejuravit (*Annales Philosophiques, Morales, et litteraires, ou suite des Annales Catholiques, tome seconde, Le Clerc.* 1800.)

N. Duram a S. Rita, ex ordine S. Augustini Pastorales Litteras, quibus N. da Cunha Episcopus Leiriensis suae Dioecesis populos de flagitiis Iesuitarum docet, mendacissime scripsit; sed stimulante conscientia Romam adveniens solemnem Palinodiam dixit, omnia revocando, quae mendaci calamo contra Iesuitas effuderat. Vide *vitam Ven. Petri Emmanuelis Correae e Societate Iesu cum animadversionibus historicis. In fano S. Martini* 1789.

N. da Cunha, Episcopus Leiriensis aliqua quidem ratione in album referendus est eorum, qui dicta vel facta in Iesuitas revocarunt. Deserta, quam coluerat, intima cum Iesuitis amicitia, in partes Carvalhi ivit, multas ab eodem opes, et honores accepturus. Hujus ergo gratia litteras Pastorales adversus Iesuitas mendacissimas edidit; quae adeo Carvalho gratae fuerunt, ut Episcopum Leiriensem ad Archiepiscopatum Eborensem, ad Cardinalium purpuram, et ad supremam Sanctae Inquisitionis Praefecturam evexerit. Sed quid haec omnia? Obiit Rex Lusitaniae Iosephus. Impendet factioni Carvalhianae ruina; et ecce tibi; Archiepiscopus Eborensis, Cardinalis, et Inquisitor Generalis se se prae caeteris Carvalho inimicum, et hostem praebet in omnibus ab hoc Regio Administro gestis, quae inter non infimum locum habent calumniae, et vexationes Iesuitis illatae. Vide *Vitam* Vener. Patris Emmanuelis Correae e Societati Iesu cum animadversionibus *historicis*. In fano S. Martini 1789.

Praeses etiam Rolland aliquo certe jure in revocantium ordinem adscribendus est. Homo iste furen-

tissimus Societatis hostis in quodem libello, quem typis vulgavit anno 1781, ubi multa noveris de Aerario sive gazophylacio Ianseniano, vulgo dicto *La Boete a Perette*, ad Sectam promovendam, et Iesuitas extirpandos, ita ait pagina 35: *L'affaire seule des Iesuites me coutoit de mon argent plus de* 60000. *livres: Et en veritè les travaux, que j' ai faits, et sur tout relativement aux Iesuites qui n'auroient pas etè eteints, si je n' avois consacrè a cette oevre mon tems, ma santè, et mon argent, ne devoient pas m' attirer un exheredation de mon Oncle*. Quae Rollandi querimoniae haud exiguum ejusdem dolorem ostendunt de consumptae tantae pecuniae vi in Societate extinguenda.

Senator Regius Matritensis N. Ric Exea, qui manus etiam admoverat ad exilium Iesuitarum Hispanorum, non multo post gravi morbo laborans coram suis domesticis, et Amicis acerbis ejulatibus suorum factorum in Iesuitas iniquitatem fassus est plane. Sed erratorum sincera confessio ab Administris semper sibi timentibus sceleratissimo silentio obruta fuit.

Albae Dux ex primariis Hispaniae Dynastis qui in Collegio Imperiali Matritensi Iesuitis Praeceptoribus usus fuerat, suis per Europam peregrinationibus, Incredulorum consuetudine, librorumque pravorum lectione ab officio recedens, Iesuitis inimicum se praestitit, illos calumniis, et maledictis proscindens? Exultavit crudeliter exilio Iesuitarum Hispanorum; sed ejus exultatio effuse redundavit extinctione Universae Societatis. In ultimis vero morientium angustiis positus, exorto e flagitiorum conscientia timore, vocatum N. Beltranum Episcopum Salmanticensem Summum Inquisitionis Hispanicae Praefectum, enixe obsecravit, ut ad Regem suam malefactorum in Societatem revocationem deferret; Quod Beltranus officium dum minus tacite praestare se parat; rem Administri aliquomodo odorati, Regem adeunt, et conficta fabula de Albani de

mentia, optimi Regis mentem sic occuparunt, ut adveniente postea Beltrano, nihil Albani palinodia profecerit.

Bernardus Ibañez Echavarri bis Iesuita, bis etiam a Societate expulsus. Hanc, quam ipse putabat injuriam, ulturus, mendacissimum opus conscripsit de rebus Iesuiticis Paraquariae, quod cum adhuc m. s. legendum dedisset Richardo Wal ex Summis Administris, suspicatus interjecto tempore Walium illud typis committendum cogitare, mutata iam sententia, in Iesuitas odii, calumniarumque paenitens, illud a Walio repetiit flammis addicendum: sed in cassum, Walio se redditurum negante: Itaque post Bernardi obitum Matriti, anno ni fallor 1764, in lucem editum fuit typis Matritensibus 1770. titulo *Reyno Iesuitico del Paraguay*. De hac sincera animi mutatione Bernardi testem habui Matriti N. Alaba Augustinianum, summa auctoritate virum, Bernardoque amicum. Lector adeat Historiam Paraquariae nostri Charlevoix latine conversam, et auctam, editam Venetiis 1779. fol. apud Franciscum Sansoni.

Ioannes Lami, vir multa eruditione insignis ad inimicitias nimis apertas descendit cum Nostro Hieronymo Lagomarsino, immo cum tota Societate. Hominem sane doctum commoverunt *L. Sectani Q. Fil. Sermones*, quibus se credidit derideri. Sed bono orbis litterarii, cui acerbae inter viros doctos simultates ingratissimae accidunt, Lamius jussu Regii Consilii Gubernationis (Real Consiglio di Reggenza) epistolam dedit 26. Martii 1743. ad Lagomarsinium, ejusdem amicitiam exoptans, et pernegans libellos contra Lagomarsinum, et Societatem esse suos. Vide verba *Lagomarsinus Hieronymus* in meis Supplementis.

Iosephus Fernandez de Cordova qui N. Mañalic et N. Magin, aliisque operam suam locaverat in disseminandis impudentibus calumniis in Iesuitas maxi-

me Paraquarios, numisque cudendis cum inscriptione fabulosi, scenicique Regis Paraquariae Nicolai primi, suorum scelerum paenitens, sese, suosque gregales ad Regium Hispanicum Senatum detulit, artibus, quibus ad infamandos Iesuitas utebantur, explicatis. Interrogati Iesuitae (neque interrogationi dolus defuit) quam a reis adeo improbis animadversionem vellent; isti honori reorum consulentes condonarunt omnia, deprecantes etiam Senatum, ut silentio tegerentur calumniatorum horum scelera: Quam Iesuitarum benignitatem, quam plurimi non probarunt volentes, publicam saltem a calumniatoribus palinodiam.

Consulto abstineo ab adjungendo Melchiore Cano ad revocantium numerum; etsi Noster Petrus Possinus in historia m. s. controversiarum de auxiliis asserat Canum revocationem meditatum fuisse de convitiis, quae improbantibus multis ex Praedicatorum ordine praeclarissimis viris una cum Vener. Bartholomaeo a Martyribus Archiepiscopo Braccharensi, Francisco Romaeo Magistro Generali Ordinis et Vener. Ludovico Granatensi, in nostram Societatem perpetuo contulit. Quam vellem aeterno Cani bono Possini assertionem esse veram. Sed ...

Nonnulli vellent Clementem XIV. ad revocantes adscribi, omnino persuasi eum Eminentissimo Principi, cujus nomen me fugit, tradidisse scriptam manu propria Decreti de extinctione infirmationem, non nisi post ejus obitum vulgandam. Hanc suam persuasionem confirmare nituntur iidem, tum ex iis, quae Decretum antecesserunt, tum etiam, quod mirabilius est, ex ipso Decreto, et ex iis, quae Decretum consecuta sunt. Notum profecto fuit Urbi, atque Orbi quot quantaque Clemens XIV. tentaverit, ut se ab urgentibus Administrorum Societatis destruendae avidorum insectationibus proriperet: quot, quantasque moras attulerit Decreto de Societate abolenda. Tertio quo-

que anno ante extinctionem litteris *Caelestium munerum thesauros* datis 12. Iulii 1769. et typis editis Typogr. R.C. Apostolicae eodem anno, indulgentiam Plenariam Missionariis Iesuitis, et eorum conciones audientibus concessit; in quibus haec ait Clemens: *Caelestium munerum thesauros ... libenter iis impertimur, quos pro sua in Deum, et proximos charitate, et Christianae Religionis zelo, animarum salutem omni studio procurare intelligimus; quo in genere cum Societatis Iesu Religiosos habeamus, eosque imprimis, quos dilectus Filius Laurentius Ricci ... ob hanc causam hoc ipso, et consequentibus annis in diversas Provincias mittere constituit. Nos sane eorumdem Religiosorum pietatem, et operam ... spiritualibus gratiis confovere, atque augere cupientes etc.* Quo Iesuitis palam praestito favore adversus Administrorum impetus se Optimus Pontifex tegere cogitabat, turpe sibi fore dicens, quos laudaverat, et beneficio affecerat, eosdem omnino delere. Huic rectissimae considerationi quid responderint tot moras pertaesi Solicitatores satis ostenderunt iidem edito audacissimo libello inscripto *Riflessioni delle Corti Borboniche*.

In ipso etiam Decreto, si diligenter perpendatur, se prodit si non omnino clara, aliqua saltem revocationis species, et clarissima certe animi praeparatio ad illam praestandam. Quam recte et sapienter extinctionis Petitores docet patres, avosque eorum omnes longe abfuisse a Societatis extictione procuranda, immo summos fuisse Societatis fautores, eadem sibi documenta solertissimus Clemens aptavit, fassus Pontifices omnes Summos praeterquam se ipsum Iesuitis impense favisse, et eorum Institutum confirmasse. Qua vera confessione subtili silentio monet omnes, plus videre oculos, quam oculum. Praeterea in eodem Decreto Iesuitas declarat idoneos ad munera Sacra obeunda. Post Societatis extinctionem Augustae Catharinae Russorum Imperatrici, et Friderico Borussorum Regi Iesuitas in

suis ditionibus conservare cupientibus concessit, ut nullatenus ipsis Decretum extinctionis denuntiaretur. De quo late dicam, ubi sermo sit de Coloniis Rossiacis. Inter poenitentes denique Clementem XIV. recenseam? Nescio quo me vertam; cum nondum mihi explorata sit illa Clementis revocatio m. s. superius dicta. Quam malint sententiam ferant aequi, sapientesque Lectores memores minarum, quibus Administri Clementem XIV. atrociter terruerunt.

Si domestica exempla usui esse possunt, afferam Martinum Olave, praestantem Sorbonae Theologum, et Carolo V. Imperatori domesticis Sacris praefectum, et ab Othone Cardinali electum, ut in Dilingana Academia ab eodem erecta, Theologiam Polemicam doceret, deincepsque ad Concilium Tridentinum missus fuit, in quo praeclaram apud Patres de se opinionem excitavit. Etsi vir erat Olavius egregia probitate, sanctissimisque moribus instructus, a Societate tamen ita abhorrebat, ut cum saepe in aliquem Religiosum Ordinem ingredi meditaretur, a Deo suppliciter petebat, ut sibi indicaret, quem potius Ordinem eligeret, una semper excepta Societate. Hic ergo tantus vir, tantopereque a Societate alienus, tamdem Deo ejus offensionem corrigente, animumque movente, Societati se addixit, ubi pluribus, magnisque muneribus functus, in eadem pie obiit, exclamans *O piam Sociorum familiam! Me miserum, qui eam nimis diu ignorans fugi! Saepe etiam de eadem detraxi!*

Martinum Olavium imitati fuerunt Hieronymus Natalis litteris sacris graecis atque hebraicis mirifice excultus, atque in Tridentino Concilio Theologus; et Michael de Torres insignis Doctor Complutensis ab Academia Complutensi Romam missus, ut Academiae jura contra Archiepiscopum Toletanum defenderet; et Nicolaus Lancicius ex genitoribus Calvinianis Calvinianus ipse, qui summo ardore in Theologiae stu-

dium incumbebat, ut Iesuitis Calvinismi debellatoribus se se objiceret, suam sectam propugnaturus. Tres isti eximii viri odio fere in Iesuitas inflammati illorum aditum, sermonem, et aspectum vehementer horrebant, falsis de Societate nascente rumoribus decepti; sed denique veritate detecta, et eorum animos Deo emolliente, Societati se dedere, quam ut amantissimam Parentem coluerunt, suisque et scriptis, et factis splendidissimam reddiderunt.

BASIS SEXTA.

AB OBEDIENTIA A MISSIONARIIS SINENSIBUS PRAESTITA BENEDICTO XIV. RITUS SINENSES DAMNANTI.

Ullam nemini admirationem movet viros vel etiam summopere probos in errata praecipue mentis incurrere, cum ita vulgo ferat humanae mentis imbecillitas; quapropter errore cognito, eum a se depellere laudi vertendum esse resipiscenti fatentur omnes. Erraruat profecto Iesuitae Sinenses, vel eorum pars major, permittentes suis Neophytis quosdam usus, ac caerimonias, quas politicas tantum, et civiles reputabant, et quas deinceps Benedictus XIV. litteris Apostolicis *Ex quo singulari* datis 11. Iulii 1742. tanquam superstitiosas merito, jureque optimo damnavit. Erraruat quidem, sed specie veritatis, et majori saltem probabilitate decepti; quod etiam confessus est Illmus Maigrot Visitator Apostolicus, et Episcopus Cononensis, quamvis Iesuitis infensus, dicens in suo Mandato Iesuitas, et reliquos cum Iesuitis sen-

tientes *eam praxim amplexos esse*, *quae sibi in Domino magis veritati consona videbatur*. Quidni non videretur magis veritati consona opinio de rituum sanitate, quae plurimis, iisque maximis fulciebatur testimoniis, adeo ut opinio contraria fere deleta fuerit usque ad annum 1700, ut constat ex litteris Episcopi Ascalonensis ad S. Congregationem *De Propaganda* eodem anno conscriptis?

Iesuitarum opinionem amplectebantur Missionarii omnes Augustiniani, Franciscani fere omnes, neque pauci Dominicani, e quorum numero fuerunt Pater Franciscus Garcia, Superior Missionariorum Dominicanorum, Pater Timotheus a S. Antonino, Pater Dominicus Coronado, Vicarii qui erant Missionariorum ex eodem Ordine. Dominicanus etiam Pater Navarrete, qui postea renuntiatus fuit Archiepiscopus Insulae S. Dominici Iesuitarum opinionem probavit, deinde illam rejecit, postea iterum probavit, iterumque post bis probatam rejecit; in tanta mutabilitate mentis perspicuum est hujus Viri testimonium pro nulla parte valere. Ex iisdem Patribus Dominicanis Iesuitarum opinionem sequebatur Dominicus Sarpetri, vir apud suos commendatissimus, uti testatur Historia PP. Praedicatorum in Philippinis apud egregie cordatos pluris habenda, quam judicium ex libidine prolatum a Natali Alexandro, viro alioquin eruditissimo, quo nullo jure Sarpetrum decernit hominem nauci fuisse, in Apologia edita 1699. Ex eodem Sarpetro novimus etiam Franciscum de Paula, et Philippum Pardo, viros ambo gravissimos, qui provinciam Dominicanam in Philippinis magna cum laude administrarunt, Iesuitis adhaesisse. Iisdem adhaerebat Dominicanus Petrus de Alcalà, Missionarius Sinensis, qui in litteris datis an. 1680. summopere conqueritur de inscontantia sui Sodalis Patris Navarrete; et insuper addit, quod Iesuitarum officiis, et opera Missionarii omnes omnium

Ordinum in Sinis degendi, et praedicandi potestate fruerentur. Adjiciendi quoque sunt illustres alii duo Dominicani. Primus est Pater Ioannes de Paz, qui in responsis ad quaesita Missionariorum Tunchinensium ab iisdem veluti Oraculum consultus, ait se certo scire ex pluribus testimoniis Patrum Dominicanorum in Sinis degentium, Sinenses nihil Divinitatis, nihil supra vires humanas Confucio tribuere. Alter est praestans ille vir Gregorius Lopez, ortu, et natione Sinensis, Vicarius Apostolicus, Episcopus Basilitanus, et deinceps Pekinensis, qui 50. per annos Missionibus in omnibus Imperii Provinciis strenue functus, fassus est idem de Confucio, quod confessus fuerat laudatus Pater Ioannes de Paz. Egregius iste Sinensis Episcopus, suae gentis rituum siquis alius callentissimus, quem Historia Ordinis S. Dominici parte 2. pag. 279. praedicat *Ornamentum suae Patriae*, et quem Navarrete etiam ipse laudat *Sacris studiis probe excultum ... ad negotia tractanda exquisita prudentia*, fere sordet Natali superius laudato, quia suis opinionibus adversantem noverat. Tam splendidis pro Iesuitis monumentis alia splendidiora accessere. Ista profecto sunt Episcoporum testimonia Iesuitarum opinionibus consentanea. In his recensentur Bernardinus de la Iglesia Episcopus Pekinensis, Alvarus Benavente ex praeclarissimo D. Augustini Ordine Episcopus Ascalonensis, Gregorius Lopez ex praeclarissimo PP. Praedicatorum Ordine Episcopus Basilitanus supra laudatus, et alii tres Episcopi, nempe Macaoensis, et duo Pekinenses Franciscus, et Polycarpus.

Nonnemo forte tot illustrium virorum auctoritatem elevare conatus, viros alios opponet dignitate conspicuos Iesuitarum opinionibus repugnantes, uti Ioannem Franciscum de Nicolais electum Episcopum Beritensem, Dominum de Cice Episcopum Sabulensem, Dominum Maigrot Episcopum Cononensem. Com-

modissima est, ac vera responsio. Episcopus Beritensis vi plane pius dum degit in Sinis a Iesuitarum opinione minime discessit, imo Episcopi Gregorii Lopez iam laudati, et cujus fuit Vicarius, librum de Ritibus latinum reddidit, atque Romano Pontifici obtulit. Si vero inconstans deinceps aliquantulum fuit, plumbeis caeli Romani austris facile est tribuendum. Quam, quaeso, majorem cognitionem de ritibus Sinensibus potuit sibi Beritensis comparare in Europa, quam non habuerit sub caelo Sinensi sub disciplina maxime tanti Magistri Gregorii Lopez Episcopi? Episcopus Sabulensis non solum in commoratione Sinensi Iesuitis adhaerebat, sed etiam post suum in Galliam reditum, ut patet ex ejusdem litteris datis 24. Oct. 1698. Postea certe in alia omnia abiit, quod etiam censeo nebuloso caelo gallico esse tribuendum. Episcopus denique Cononensis, dum annos 9. Vicarius fuisset Apostolicus in Provincia Fokiensi nullam de ritibus istis Iesuitis litem intendit. Sed cum isti in quadam de jurisdictione controversia, ab Archiepiscopo Goano cum Maigroto litigante starent, eisdem se infensissimum praebuit, ac renuntiatus Episcopus Cononensis Iesuitas Lusitanos interdicto Ecclesiastico perculit; sed non multo deinceps nempe 15. Maii an. 1700. eosdem solvit, facta eisdem edicto solemni, ac publico potestate confessiones Sinensium audiendi, et peccata absolvendi, quin confitentes premerent ad respuendos ritus neque magnos, neque parvos. (Vide *Lettre a Messieurs du Seminaire des Missions etrangeres etc.*) Neque aliter Cononensem se gerere oportebat, qui anno priore nempe 1699. in Urbe Fo-tcheou iisdem caerimoniis erga mortuos usus fuerat, quas jam antea veluti superstitiosas, et impias Romam detulerat. Neque negandum nobis est eundem nondum Episcopum suo Edicto 26. Martii 1693, nescio qua auctoritate fultum concessiones Alexandri VI. irritas fecisse; ve-

rumtamen non eo audaciae processit, ut suas definitiones, tamquam Pontificias haberi vellet. Ipse quidem laudato Edicto adjunxit, *Donec aliter ab Apostolica Sede decretum fuerit*, de improbitate rituum minime certus. De ejusdem cum Iansenianis faedere sermonem forse posterius instituemus.

Haec, prudens Lector, testimonia tibi videntur conferri posse cum primis a me allatis Iesuitarum opinioni faventibus? Agedum. En testimonium praeclarissimum, quo majus, et illustrius vix produci potest. Ipse Imperator Sinensis Cam-ghi cum Iesuitis stabat in interpretandis vocibus, et ritibus Sinensibus, de quibus erat quaestio. Quis Imperatore melius, et linguam, et mores Imperii sui nosset? Imperator ergo Cam-ghi acuto, profundoque ingenio praeditus, multiplici doctrina perpolitus, veritatis, aequitatisque studiosissimus, et quod in hac controversia vim maximam habet, Christianorum beneficentissimus Protector, quorum Religionem si non est amplexus, *Iudicia Dei*, exclamare oportet, *abyssus multa*, Illam tamen penitus perspectam habebat, probabat, ac palam praedicari concedebat, aris, et templis vero Deo Iesu Christo erectis: Hic, inquam, tantus, ac spectandus Princeps non modo saepe omni asseveratione affirmat ritus controversos nihil Religioni Christianae dissonum continere; non modo illos explicat, et Vicarios Apostolicos docet veram illorum significationem, sed etiam per litteras Romanum Pontificem de illorum conditione, ac natura certiorem facit. Fac prudens, et erudite Lector, sagacissimum, et integerrimum Sixtum V. de rituum Romanorum conditione fuisse quaesitum: fac etiam Carolum Magnum Imperatorem de Francorum lingua, moribusque rogatum. Horum duorum Principum, in quos tot ornamenta congesta splendebant, prolata responsa tibi neutiquam arriderent? Non potius eorum, quam aliorum sexcenta testimonia contra-

ria valerent? In illis non plane, ac libentissime conquiesceres?

Iesuitas itaque toto, tantisque monumentis validissimis munitos mirabimur aliqua contentione defendisse ritus a tot viris Religiosis, tot Episcopis, tot Litteratis Sinensibus, et ab ipso Imperatore Sinensi mere politicos, ac civiles judicatos? Nimiam fortasse putes hanc Iesuitarum contentionem, cum timerent ipsi ex rituum damnatione certissimam florentis Ecclesiae Sinicae ruinam? quam etiam praedixit Ioannes Baptista Morales, acerrimus alioquin, sed parum candidus Rituum oppugnator in *Quaesitis* apud Innocentium X. fassus, quod si damnarentur Ritus, *erit tumultus in populo, Ministri Evangelii in exilium mittentur, et conversio animarum impedietur, et extinguetur*. Contenderunt profecto Iesuitae, et fervide si velis, contenderunt, intime persuasi nihil superstitionis in ritibus inesse, quam si fuissent suspicati certo certius est, nullatenus fore ab iisdem permittendos. Luculentum plane, ac pene Divinum Iesuitae Pekinenses factum ediderunt in non permittendo quoquam superstitionem redolente. Vivente, et imperante Camghi Iesuitarum, et Religionis Christianae benefactore clarissimo suspicati Iesuitae, ne superstitio aliqua celaretur in quodam Sceptro (*Pien* sinice vocatur) colorando; uti iisdem jusserat Cam-ghi filius haeres, obedire tenaciter retardarunt maximo cum periculo jacturae Ecclesiae Sinensis, capitalisque supplicii, quo Noster Bouvet ob inobedientiam erat plectendus: donec ipsi Missionarii certissimi redditi de innocuo sceptri usu, illud colorarunt. Longe nimis erant a permittendis ritibus Sinensibus, si eos rati fuissent superstitiosos, qui Imperatoris Successori vel maximo exitio imminente obedire recusant ob dubium parum fundatum de aliqua superstitione latente. Consulat Lector litteras nostri Patris Iartoux ad Patrem Fonta-

ney Pekino datas 20. Augusti 1704, quae extant in *Lettres edifiants, et Curieuses etc.* ubi haec Iesuitarum Pekinensium pervicacia describitur. Eodem quo Iesuitae, eorum Discipuli, ac Neophyti ducebantur odio in ritus de superstitione suspectos. Princeps ille ex Imperiali Familia, cujus multa cum laude meminit Noster Pater Parenín litteris Pekino datis 20. Augusti 1724, Religionis Christianae fervidissimus Cultor, pro qua retinenda tot gravissima incommoda forti animo pertulit, vehementer abhorrebat ab honoribus illis, quibus Tartari dicti Mautcheous mortuos prosequebantur, quia nonnullae intercedebant caerimoniae ex sectis Fo, et Tao desumptae.

Si momentis humanis, ut ad inceptum redeam, res esset definienda, utra, quaeso, causa melior, Iesuitarum, an Adversariorum? Sed cum rationis humanae momenta etiam validissima, omni robore destituantur, Spiritu Sancto contrarium inspirante, ideo Iesuitae Sinenses posthabitis juribus omnibus prioribus, Benedicti XIV. oraculum divino afflatu editum obsequiosissime auscultati a controversia cessarunt. Sed ipse Benedictus, reponet aliquis, iisdem litteris, quibus Ritus Sinenses improbat, Iesuitas vocat *captiosos, et inobedientes*. Unde licet imperata Benedicti fecerint, non ita Clementi XI. paruerunt. Summae arduitatis fateor esse, hanc rem sine offensione explicare. Tentabo tamen quam modestissime. Dico enim Benedictum nullatenus Iesuitas nominasse. Haec sunt Pontificis verba, quibus singillatim Iesuitas reprehensos volunt: *Iustum, et aequum videbatur eos qui Sanctae Sedis auctoritatem se se quam maxime revereri profitentur, humili, et obsequenti animo illius judicio semet subjicere ... nihilominus inobedientes, et captiosi homines exactam ejusdem* (Clementis XI.) *constitutionis observantiam se effugere posse putabant*. Non ne reliqui Missionarii Sinenses, maxime Vicarii Apostolici et Epi-

scopi, *Sanctae Sedis auctoritatem quam maxime revereri profitebantur*? Idem Benedictus doctissimo, et sanctissimo Cardinali Ludovico Belluga infelicissimam tot Illustrium Iesuitarum Sinensium conditionem miseranti declaravit, se dictis verbis omnes intellexisse cujuscumque Ordinis Missionarios: uti testatur Renatus Balduinus in *Aucupio Specioso*. Eadem Benedictus declaravit Episcopo Conimbricensi Michaeli de fatis Iesuitarum Sinensium maerenti, uti asserit Noster Novaes in Pontificum historia. Iesuitae igitur si taxandi sunt, taxandi sunt etiam, ut inobedientes, et captiosi Patres Augustiniani, Franciscani, Vicarii Apostolici, et Episcopi Pekinenses, Ascalonensis, et Macaoensis. Imo fere taxandus est inobedientiae ipse Carolus Thomas Maillard de Tournon Visitator Apostolicus, qui Episcopo Ascalonensi, ut ipse testatur litteris ad Lusitaniae Regem Cantone datis 7. Decembris 1707. pollicitus est *se nihil mutaturum circa Ritus, si adsint argumenta, ut iidem permittantur; consciumque facturum Summum Pontificem de cognitionibus a se comparatis*. Vide opus egregium inscriptum *Reponse au livre intitolè; Extraits des assertions etc. Suite de la troisieme part*. 1765.

Pluris etiam taxandus est inobedientiae Carolus Ambrosius Mezzabarba, qui libellum supplicem Imperatori obtulit, pollicitus res sine mutatione reliquendas, donec Pontifex ab eodem coram edoceretur, et insuper mitigationibus, et permissionibus octo Decretum Clementis XI. an. 1715. temperandum sibi per Pontificem licere putavit. Decreta ne ista Pontificum interpretationem aliquam patiebantur? Visitatores certe Apostolici Roma ad Sinas a Pontifice missi, ita se se persuasos fuisse dictis, ac factis ostenderunt. Cum Visitatoribus consentiebant Episcopi. Immo Franciscus Pekinensis Episcopus duabus litteris Pastoralibus severe praecepit Missionariis, ut octo permissiones a

Mezzabarba inductas plane usurparent. Rebus hoc loco positis quid Missionariis agendum? Obedient ne Clementino decreto 1715. adeo praecise, si verborum tantum ratio habeatur, ac simpliciter rituum usum neganti; vel Episcopo Pekinensi jubenti exceptiones datas a Mezzabarba, mentis Pontificiae optime conscio, et post reditum ad Urbem Pontifici suae administrationis rationem reddituro? Neque Pekinensis Episcopus, neque Missionarii in dubio posuerunt Mezzabarbam officio suo deesse voluisse: persuasi siquidem erant eum a Pontifice monitis secretis instructum, ut quam prudentissime se gereret in re haud parum ardua, moderatione quadam apposita, si urgeret necessitas. Et revera idem Clemens XI. haud leve mea sententia indicium edidit de mitigatione facienda suo decreto an. 1715; quippe eodem tempore praeceptum Apostolicum ad Episcopum Pekinensem mandavit, quo Missionariis praescribebatur de ritibus Sinensibus decernere, qui prohibendi, qui permittendi essent, uti mere civiles, et politici. Iubebatur insuper in hac distinctione facienda standum esse judicio Visitatoris Generalis Apostolici id temporis in Sinis degentis, et iudicio quoque Episcoporum, et Vicariorum Apostolicorum. Quid ergo haec distinctio facienda Clemente ritus praecise, ac simpliciter damnante? Neque longe absum, ut affirmem Clementem etiam XII. qui suis litteris *Apostolicae Solicitudinis* datis 26. Sep. 1735. et in Sinas ni fallor allatis an. 1737, acriter improbavit duas litteras Pastorales, quas dixi, Episcopi Pekinensis, cogitasse quoque de mitiore interpretatione suarum litterarum; in ipsis haec Pontifex ait: *Nobis insuper, et Apostolicae Sedi reservantes facultatem Christi Fidelibus in eodem regno degentibus aperiendi nostram, et dictae Sedis mentem post maturam itidem habitam deliberationem super rebus, quae hujusmodi materiam respiciunt*. Nescio quid mihi subolet ista reservatio, si res erat prorsus definita.

Praetereundum non est quinque Iesuitas, Patrem nempe Monteyro, Viceprovincialem cum 4. aliis Sociis paruisse Clementino decreto edito 20. Nov. 1704, a Tournonio nulla forma juris, et quasi sub larva denuntiato in suo Mandato dato in Sinis 25. Ianuarii 1707; et ob ejusmodi obedientiam ab Imperatore Sinensi fuisse in Urbem Cantonem relegatos. Commemorandum est etiam, priusquam ultra progrediamur, Mezzabarbam Missionariis fuisse pollicitum eorum innocentiam se Romae defensurum, sed e Sinis reducem Societatis inimicis se adjunxisse: De qua a promissis discessione conqueruntur Missionarii in libello (*Memoriale informativo*) ad Sacram Congregationem. Aequiori prae caeteris jure de Mezzabarbae illiberalitate conquesturus erat Noster Ioannes Laureati Sinarum Visitator, qui magno suo periculo aditum in Pekinum inscio Imperatore Mezzabarbae aperuit: qua de causa vinculis fuit datus et catenis collo, manibus, ac pedibus vinctus. Vide Nostri Sanchez de Luna opus anonymum *La verità per se difesa*, et Dominum Le Gentil ex Instituto ni fallor S. Vincentii a Paulo, qui tomo 1. incripto *Nouveau Voyage autour du Mond*. Amsterdam. 1728. a pag. 163. multis laudibus Laureatum, quem familiariter novit, abunde cumulat.

Ad Benedictinum decretum rediens, meminero solum Theologorum sententiam, quam quisque etiam prudentissimus amplectitur, non omnia scilicet, quae in litteris Apostolicis Pontificum continentur, esse definita. Benedictina definitio in eo solummodo posita est, quod Ritus Sinenses superstitiosos declarat. Praeter id caetera in litteris contenta, neutiquam definita intelliguntur. Praeclare, ut illi perpetuum, ac proprium est, Eximius Doctor Franciscus Suarez ait: *Sicut in Conciliis, ubi non fit praecisa definitio per breves Canones, et Decreta, sed per longum, et continuum textum non omnia, quae dicuntur, sunt defi-*

de ; sed sola definitio intenta , nisi aliud in ipsomet Concilio expresse declaretur . (tom. 1. in 3. part. quaes. 23. disp. 49. sec. 3. ni fallor) Suarezio praeluxit, imo Suarezium docuit Theologorum Doctor Angelicus D. Thomas dicens Quod lib. 9. artic. 16. *Certum est quod judicium Ecclesiae Universalis errare in iis quae ad Fidem pertinent, impossibile sit ... in aliis vero sententiis , quae ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de possessionibus, vel de criminibus, vel de hujusmodi possibile est judicium Ecclesiae errare propter falsos testes* . In hac Angelici Doctoris sententia perpendendum est valde Ecclesiam errare posse in judicandis criminibus pervicaciae puta, et inobedientiae, quae Missionariis Sinensibus tribuebantur . Haec ideo in medium attuli, nequis parum Theologiae gnarus, credens uti debet fide Catholica ritus Sinenses post Benedicti XIV. definitionem esse superstitiosos, credat insuper Missionariorum inobedientiam esse definitam . Nimis atrox injuria foret adversus tot illustres Missionarios, Vicarios, Episcopos, Religiosos, et atrocissime adversus , ut de Iesuitis nominatim loquar, Verbiestios, Gaubilios , Neuvallieos , Bouvetios, Chalierios, Entrecolles , Maillas, Parenninos , Cibotos, et sexcentos alios non de scientiis solum, quod Academiae omnes eruditae fatentur , sed quod caput est de Religione Christiana benemerentissimos, cujus publicam per universum Imperium Sinarum praedicationem suis precibus, studiis, ac contentione ab Imperatore exorarunt .

Hactenus dictis hoc unum adjiciam : suspicionem nempe in plures manasse Benedictum XIV. haud modice poenituisse acerbitatis , qua tot venerabiles Missionarios visus est tractavisse . Quam suspicionem confirmatam volunt ex multis Benedicti litteris post condemnatos ritus in Societatis laudem datis . Afferam omissis aliis litteras incipientes *Praeclaris Roman. Pontifi-*

cum etc. haec ibi de Societate praedicat: *Praeclaris Rom. Pontificum ... de inclyta Societate Iesu benemerentissimorum vestigiis insistentes ... cujus Religiosi alumni Christi bonus odor sunt, et ubique gentium* (Sinas etiam intelligit) *habentur etc.* In litteris *Gloriosae Dominae*; haec ait: *Itaque ipsi* (Iesuitae) *per omnem terrarum* (Ecce Sinas) *et marium aplitudinem portantes adorabile nomen Iesu coram Regibus, et Nationibus* (hic etiam in medium procedunt Natio, et Imperator Sinensis), *quorum strenuam, atque fidelem operam in propaganda, aut asserenda per universum terrarum Orbem* (Orbis haud exigua pars Sinae sunt) *Catholicae fidei, atque unitatis, Christianae doctrinae, ac pietatis integritate et sanctitate cum Divini Numinis, et Beatissimae Virginis cultu plurimi facimus etc.* In litteris *Quantum secessus* haec profert: *Universamque Societatem in amplissima Vinea Dei Sabaoth ubique terrarum* (En 4. Sinas) *per suos alumnos accurate excolenda adlaborantes benevolentia prosequimur etc.* Vides quot modis Benedictus XIV, veluti clementissimus Pater filios suos quos *captiosos, et inobedientes* fere iracunde appellarat, nunc leniter eosdem paterno affectu amplectitur, ac consolatur, volens illam acerbam increpationem elutam, et pro nihilo habendam.

Quidquid ergo sit de aliis aliorum Pontificum decretis inobedientia a Benedicto XIV. reprehensa; illud constans, et universo Terrarum Orbi notum, manifestumque fuit Iesuitas Sinenses promptissimo animo sine ulla mora, et tergiversatione ad unum omnes obedientiam praestitisse Benedictino Decreto, quod de rituum superstitione nihil dubitationis reliquit. In hac Iesuitarum Sinensium obtemperatione summopere considerandum est, quod cum magna eorum pars fuissent natione Galli, nemo usus est Ecclesiae Gallicanae opinione de correctione seu reformabilitate, ut vocant, decretorum Pontificum. Sensis Ecclesiae Gal-

licanae, cujus erant membra, omnino repudiatis ocyssissime obedierunt, magnam hac sua obedientia Societati gloriam comparantes. Quo insigni summae reverentiae erga Pontificiam auctoritatem exemplo, certos homines de Religione Christiana parum, aut nihil, de damnatione Rituum acriter curantes spes omnino defecit saltem videndi semel Iesuitas Sinenses Gallicarum opinionum Sectatoribus, et Gallis Appellantibus adhaerere. Uno verbo: delusa fuit Iansenistarum expectatio summo cum triumpho Societatis. Quippe egregii illi Missionarii memores sacramenti, quo Societatis Professi tenentur Romano Pontifici in omnibus parendi, quod est singulare, et praeclarum ejusdem Societatis Insigne, nihil antiquius habuerunt, quam illibatam conservare venerationem, quam Societas Iesu erga S. Sedem Apostolicam profitetur. Neque ex iisdem defuit, qui iam iam moriturus, extremo agone luctans, juratam iam antea obedientiam, renovarit; uti piissimus, ferventissimus que Pater Beuth vita functus 19. Apr. 1747, qui tot mala passus est a Sinensibus pro Religione Christiana asserenda. Consulat Lector Epistolam Nostri Adjutoris Fratris Attiret nobilis apud Imperatorem Sinensem Pictoris scriptam Domino d'Assaut 1. Nov. 1743. (Extat in *Lettres edifiants, et curieuses*), et animo certe teneriori probabit Iesuitarum obedientiam. Videatur etiam insigne opus inscriptum *Reponse au livre intitulè Extraits des assertions etc. Suite de la troisieme partie etc.* 1765; ubi de hac controversia egregie tractatur.

Itaque glorientur per me licet Ianseniani de isto, quem crediderunt de Iesuitis triumpho; in quo reportando diuturnos, pertinacesque conatus pararunt. Qui enim fuerunt in ritus magis invecti, quam Charmotus, ejusque Socii suis libris editis. Ex istis hominibus quaererem, si putavissent cum Iesuitis ritus esse innoxios, a Decreto ne Benedictino fuisse, ut di-

cunt, appellaturos; sicuti appellarunt a Bullis dogmaticis *Unigenitus* etc. Iterum, immo millies glorientur de hoc triumpho; in quo Ecclesiae Dei nolentes optime inservierunt: quippe Eadem iteratis disquisitionibus de rituum conditione, certissimis Spiritus Sancti illustrata luminibus, occultissimam detexit, quae in iisdem inerat, superstitionem. De quo praestito officio Iesuitae Iansenianis gratulantes Divini Numinis providentiam reverenter deosculantur, quae minime permisit veras redditas fuisse suspiciones illas ab Episcopis Lusitano Lamecensi (Lamego) et Gallicano Aptensi (Apt) susceptas. Haec scribebat ille ad Summum Pontificem 23. Nov. 1702: *Quid aut aequale, aut majus non expectabunt Iansenistae fieri posse circa decreta contra eos lata ab Alexandro* (VII) *Pontifice, si videant nutare ejus sanctiones damnarique ut gentiles eos ritus; quos ipse, ut indifferentes tolerari posse decreverat?* Aptensis eodem anno eidem Pontifici scribit 7. Octobris: *Grandis materia triumphi haec esset prohibitio rituum Sinensium pro Iansenistis qui non desiderant, nisi similem sententiam, ut se tegant contra illam quae eos declarat haereticos*; et alia epistola haec addit: *Velle, ut annulletur Decretum Alexandri VII. mihi persuasum est, quod esset velle tollere gloriam Papae Alexandri VII; et hoc pacto infirmare ejus decretum contra V. propositiones Iansenii.* De horum Episcoporum suspicionibus animadvertendum est, ritus Sinenses a Benedicto XIV. merito damnatos nunquam ab Alexandro VII. fuisse approbatos, sed solum permissos; quia de eorum pravitate non erat certum. Damnatio vero V. Propositionum Iansenii ab eodem Alexandro solemniter lata omnino perseverat, et a Successoribus Pontificibus, vel fremente universa Iansenianorum factione, solemniter etiam confirmata. (Videatur *Lettere d' avviso d' un buon Amico al Dottore di Sorbona autore d' un livro inti-*

tolato Difesa del giudizio formato dalla S. Sede Apostolica etc.) Rejicimus in aptiorem locum sermonem inferre de Illmo Thoma Maillard de Tournon, *Legato Apostolico* etc. viro pio, sanctoque ardore succenso, ubi argumenta solvam, quae religiosissimus, doctissimusque Auctor tomi 5. praestantis operis inscripti *Melanges d' histoire, de morale, et de Litterature. Suite des annales litteraires, et morales. Tome cinquieme. Quinzieme della collection*. Paris. Adrian. Le Clerc, opponebat M. M. antea Archidiacono, et Vicario Generali Suessionensi, Editori operis *Choix des Lettres ecrites des Missions Etrangeres*. Volum. 3. in 8. apud Maradan, et Adrian. Le Clerc.

BASIS SEPTIMA.

A COLONIIS ROSSIACIS, ET PARMENSIBUS.

Paradoxum mihi obtrudis, ex lectoribus nonnemo, basis inscriptione lecta, iratus stridebit. Incredibilem dementiam velle gloriam Societatis posthumam in Coloniis Russianis collocare! Socii palam Refractarii Societati gloriam comparabunt? Clementinum extinctionis decretum respuentes ignominiam potius, quam decus Societati pariunt. Quo abiit obedientia illa caeca Superioribus, maxime Pontificibus Societati a suo Sanctissimo Institutore severissime praescripta? Schismatici merito habiti sunt Iesuitae Russiani, qui Societatis Institutum post Clementinum decretum retinere sunt ausi. Bellule quidem. Sed sanae mentis Lectores facile intelligent, quam injusta sit hujusmodi vituperatio. Quam belli profecto sunt certi homi-

nes, qui summam volentes in Iesuitis Russianis reverentiam in Clementem XIV, eundem ipsi omnis Religionis, ac Pontificiae auctoritatis contemptores parvi penderunt, et indecore tractarunt. Cur ergo Sanctissimi isti Detractores Clementis XIII. placitis, quibus paulo ante decretum extinctionis Institutum Societatis Iesu ut pium, sanctumque fuit confirmatum, et Socii pii, utilesque Ecclesiae praedicati; cur inquam his placitis Clementis XIII. audacissime obstrepuerunt? Pontifici Summo mos gerendus non est, dum aequa, et favorabilia de Iesuitis decernit, et obedientia plusquam caeca exigitur, dum dura, et aspera contra eos pronuntiat. Si hoc non est, quod erit petulantissimum de Religione ludibrium?

Praeterea quam tu majorem optas a Iesuitis obedientiam, illa ab iisdem Clementino decreto praestita? Raro numquamque viso animi obtemperatis exemplo, sed gloriae posthumae Societatis augendae peropportuno, Societas Iesu Russiana precibus cum Augusta Catharina egit, quam potuit, diligentissimis, (Vide ephemeridem Florentinam dictam *Notizie del Mondo*, num. 78, ann. 1774.) ut Clementinum pateretur decretum coram Iesuitis denuntiari, qui cum reliquis Sociis extingui potius, quam vel minimam dare contumaciae suspicionem exoptabant. Appella nunc, si lubet, Iesuitas Russianos Schismaticos, et contumaces. Si Augusta vero eorum votis indulgere noluit: si eos potius decrevit Institutum idem retinere, eandemque vivendi rationem, tu quis qualis, et quantus es, ut Augustam, et Iesuitas maledico dente carpas? Illi se Optimae Imperatrici fidissimos cives ostenderant. Augusta jure Principibus omnibus communi Civium bono consulendi prudentissime usa fuit. Hoc profecto jus generale mature praemeditatus Clemens XIV. a jubendo sapienter abstinuit, solumque Principes hortatus est, ut Brevium litterarum de extin-

ctione publicam denuntiationem permitterent: Insuper neque Ludovicus XV. in Galliis, neque Fridericus Borussorum Rex in Silesia illam permiserunt. Immo ipse Clemens XIV, quòd a Schismatis Iesuitici inventoribus, ac praeconibus etiam, atque etiam perpendendum erat, ipse Clemens XIV. approbavit denuntiationem a Borusso fuisse impeditam, ut liquet ex Borussi litteris, sed praecipue ex illis datis 27. Sep. 1775. ad Vicarium Generalem Episcopi Breslaviensis his verbis... *Quare omni ope innixus sum, ut eorum* (Iesuitarum) *Institutum in Imperio meo conservarem. Ipse Summus Pontifex* (Clemens XIV) *non potuit eas causas non approbare, quae ad huic Instituto favendum me permoverunt; quinimmo Sanctitas sua eas laudavit, et mihi notum fecit se prorsus temperaturum ab omni in Iesuitas mei Imperii censura*. Approbavit etiam Clemens XIV. denuntiationem a Catharina Augusta fuisse impeditam, de quo praeclarissimum testem habemus Episcopum Mallensem, Vicarium Apostolicum, ita scribentem: *Cum tantum fuerit... Clementis Papae XIV. studium gratificandi Augustissimae Russorum Imperatrici... ut Majestatis suae causa Bullam quae incipit* Dominus, ac Redemptor *in Imperii sui ditionibus executioni mandare omiserit etc.* Quo ergo jure, seu ut rectius dicam, qua nisi maxima temeritate appellandi sunt Iesuitae Russiani contra Decretum Clementis XIV. pervicaces, quod noluit ipse Pontifex executioni mandari, ut Catharinae Augustae studiis de conservanda Societate inserviret? Legitime ergo, jure, ac Pontificia concessione Societas Iesu Russiana hucusque sine intermissione continuata permansit iisdem legibus, ac votis religiosis instructa, adversus artes, et machinamenta adhibita ad eas Societatis reliquias perdendas. Haec una Societatis Rusianae conservatio insuavia, amarissimaque reddidit gaudia illa, voluptatesque, quibus decretum Clementinum certos homines perfuderat.

Rem minime injucundam Lectori erudito, et Societatis fautori facturum me putem, si nonnulla de Societatis Russianae statu breviter afferam. Anno 1778 die Divo Ignatio Fundatori Sacra excitatum fuit Tyrocinium Polociae inscripto prae foribus hoc grati animi monumento:

Augustissimae Russiarum Imperatrici.
Multarum Orbis Provinciarum Dominatrici.
Turcarum Expugnatrici.
Sub cujus auspiciis integra, et illaesa remanet.
In suis privilegiis, et juribus.
Societas Iesu.
D. D. D.

Anno 1782, et die 16. Octobris haberi coepta sunt Polociae comitia ad eligendum Vicarium Generalem, qui Provinciales, et reliquos Superiores designaret. Interfuere comitiis 31. Patres Professi. Prima sessione decretum fuit *videri Iesu Societatem in comitiis recte fuisse convocatam*, quamvis abessent 15. Electores Gallici ob impeditam accedendi facultatem. Decretum quoque fuit 30. Electores sufficere; major quippe numerus in tanta Operariorum inopia, et messis abundantia ministeriis Apostolicis in proximorum bonum officeret. Decretum quoque fuit potestatem Vicarii Generalis eandem, ac parem esse, atque illam olim Praepositorum Generalium, ea tamen lege, ut Vicarius Generalis, si quando pro re nata, pro varietate temporum, pro vicissitudine rerum humanarum Romae aliter provisum fuerit a tota Iesu Societate, teneatur omnino parere decretis Congregationis Generalis, quae Romae habita fuerit. Die 17. renuntiatus fuit Vicarius Generalis Pater Stanislaus Czerniewicz, qui anno 1765. Romae Substitutum Assistentiae Poloniae agebat, et qui ut constat ex Catalogo Provinciae Massoviae an. 1765. ad 1766. natus fuerat an. 1728, die 15. Augusti, die 16. ejusd. men-

sis anni 1743. Societatem ingressus et ejusdem mensis die 15. anni 1761. vota 4. emiserat. Illico R. P. Vicarius Generalis P. Franciscum Kareu elegit Praepositum Provincialem Albae Russiae, et eidem Secretarium dedit P. Franciscum Loupia, qui Romae Poenitentiarium egerat an. 1757, ut liquet ex Catalogo Provinciae Lithuaniae.

In iisdem Comitiis, tria constituta sunt. Primum: si quis ex pristinis Sociis decreti Clementini denuntiatione iam exauctoratus, Societatem petierit; is non nisi Ignatianis exercitationibus antea prius obitis recipiendus erit; et vota solemnia, vel simplicia iterabit. Alterum, ut votorum renovatio fieri solita die 29. Iunii, die fiat Iesu Cordi Sacro. Tertium, ut in Litaniis quotidianis adjungatur oratio de Corde Iesu *Concede quaesumus etc.*, et singulis quibusque Sabbatis post Sanctorum Litanias Lauretanae recitentur. Obiit Pater Vicarius Generalis Stanislaus magna cum sanctitatis opinione 18. Iulii 1785. R. Pater Gabriel Lenkiewicz qui in demortui locum suffectus fuit, natus est, (ut liquet ex Catalogo Provinciae Masoviae an. 1770. in annum 1771) die 15. Martii 1722, Societati se addixit 15. Augusti 1745, vota 4. nuncupavit 15. Augusti 1762. Vita functo R. Patre Gabriele electus fuit Vicarius Generalis die 4. Feb. 1799. Pater Franciscus Kareu, qui, ut affert laudatus Catalogus Masoviensis, natus est 10. Dec. 1731, Societati accessit 14. Aug. 1754, vota 4. professus 15. Aug. 1769. R. Patre Francisco e vivis erepto electus fuit die 2. Sept. 1805. A. R. Pater Thaddaeus Brzozowski, qui ex catalogis Masoviae an. 1765. in annum 1766, et Rossiaco an. 1805. in annum 1806, natus est 21. Oct. 1749, Societatem ingressus 26. Aug. 1765, vota 4. nuncupavit 2. Feb. 1784; hodieque (27. Maii 1814.) Societatem Iesu prudentissime moderatur non Vicarii, sed Praepositi Generalis nomine ornatus.

Ex laudato Catalogo Rossiaco novimus Societatem Iesu in Imperio Rossiaco anno 1805. numerare 145. Sacerdotes, Scolasticos 100, et Adjutores 88, et Collegia Polocense, Düneburgense, Mohiloviense, Mscislaviense, Orsense, Petropolitanum, et Vitebscense, in quibus praeter officia concionandi, Catechismum exponendi, confessiones audiendi, morientibus opitulandi, carcere multatos sublevandi, traduntur in Gymnasiis Mathesis, Physica experimentalis, Philosophia, Rhetorica, Poetica, et linguae Germanica, Gallica, et Rossiaca; in Polocensi etiam traduntur Universa Theologia, Ius Canonicum, Historia Naturalis, et lingua Graeca. Honestatur etiam Collegium Polocense Sodalitate Cordi Iesu colendo devota, ac typographia imprimis pulcra, atque copiosa, quibus praeerat Pater Aloysius Lenkiewicz. Ad haec 7. laudata Collegia adde Residentias Astrachanensem, ac Rigensem, et Domicilia Dagdense, Puszense, Chalczense, et Czeczerscense, et Missiones denique Saratovienses in quibus Iesuitae Sacerdotes 10. cum duobus Adjutoribus in promovenda pietate impigre laborant. Nonnihil tandem de Colonia Parmensi extremis saltem digitis attingamus.

Ferdinandus Borbonius Parmensium Dux praeclarissimus exemplum Catharinae Augustae quoad licuit secutus, post Societatis extinctionem Iesuitas e Russia Parmam excivit, Societatem in suis ditionibus instauraturus. Si post multa, variaque conatu summo tentata, benigna, atque pia proposita optatum ab Optimo Principe exitum perfecte non habuerint, verumtamen Exjesuitis idem commisit Collegium Nobilium Parmense, unum ex pluribus celeberrimum, ut Iuventutem Nobilem, ex multis, atque etiam longe dissitis Provinciis ibidem congregatam religione, pietate, et omni disciplinarum genere sedulo excolerent. Aliam quoque religiosus Princeps suae in Iesuitas be-

nevolentiae significationem dedit, cum eis amantissime concredidit Lycaeum Placentinum, ubi tum Scientiae Sacrae, tum Mathesis, Philosophia, Physice, ac reliquae, quas prophanas nominamus, diligenter, ac fructuose tradebantur. Plura, majoraque Ferdinandus esset perfecturus, nisi mors Parentem Societatis Iesu amantissimum aetate florentem, et suscepta consilia abrupisset.

BASIS OCTAVA.

A DOCTRINA IESUITARUM NULLOMODO DAMNATA POST EXPULSIONEM ET EXTINCTIONEM A CLEMENTE XIV, NEQUE A PIO VI, NEQUE SEPTIMO.

Res est in medio posita unam Scientiam mediam, cujus ope libertas humana cum altissimo De dominio conciliatur, ita propriam esse Societatis, ut Scholam Iesuiticam ab aliis Scholis Catholicis discernat. Unam plane dixi; quippe in reliquis opinionibus Iesuitas a Iesuitis dissentientes videas, quin nullo Sacramento adigantur istam potius, quam aliam sententiam sequi, isti potius, quam alii scholae adhaerere. Noverunt omnes quot, quantasque laudes a doctissimis theologis hoc felicissimum Scientiae mediae inventum sibi promeritum fuerit. Plura, et spissa volumina confici possent ex istiusmodi elogiis, quae sponte praetereo, uno tantum contentus Clarissimi Viri, et natalium splendore, et doctrinae ubertate, et vitae sanctitate conspicui Reverendi Patris Danielis a S. Iosepho, Carmelitae Discalceati Galli, qui in 1.

tomo in D. Thomam. 24. c. 9. ita honorifice de Scientia media sentit: *Plurimum debet Respublica Christiana his, qui conditionalem scientiam absoluto decreto priorem Sacris ex litteris, Patrumque, et D. Thomae monumentis, in quibus delitescebat, in lucem Theologiae vocaverint: quoque modo liberam creaturae voluntatem cum Dei scientia, et auxiliis conciliet; atque ita de Wiclefi, Lutheri, et Calvini erroribus triumphet, magno Christiani Orbis bono ostenderint.* Omnibus quoque multo notum est in quot, quantasque reprehensiones aliorum hominum Scientia media incurrerit. Societatis adversarii plurimi illam veluti Pelagianam, aut saltem Semipelagianam accusabant. Inclamabant maxime Iansenistae hac nova doctrina Iesuitas despectui habere Ecclesiae Catholicae doctrinam; libertatis humanae conditionem contra Divini dominii jura nimis extolli. Ista similiaque convicia derisere Pontifices Summi, quorum est haereticas opiniones ab Ecclesia depellere. Evades fortasse, mi bone, si Pontifices omnes, ex quo non exigua laus in Societatem rediret, Iesuitis addictissimos velis. Cur ergo, Catholicos rogo, qui sincere Christum profitentur, cur ergo qui Societatem funditus extinxit, perniciosam adeo doctrinam medullis Iesuitarum omnium insidentem, minime damnavit? Qui tot, tantaque congessit, ut extinctio ab eodem decreta mundo probaretur, cur non in medium protulit pestiferam Societatis doctrinam, quà Universa miserrime erat infecta? quo uno crimine, dum verum esset, justissimam extinctionem fuisse plenissime comprobavisset, omisis reliquis criminationibus, quae facilem confutationem habent.

Magnam profecto gloriam cepit vivens Societas ex Congregationibus habitis à Clemente VIII, in quibus maxima disquisitione a doctissimis, ac fervidissimis tum adversariis, tum amicis doctrina Societatis ad rationis, et Religionis leges revocata fuit; quippe Societati con-

cessum fuit opinionem suam retinere, et illam ubicumque gentium et terrarum edocere. Quae Pontificia concessio adeo felicem exitum habuit, ut acerrimus Scientiae mediae accusator, et vir eruditissimus Thomas de Lemos in *Panoplia gratiae* edita Leodii 1676, in 1. parte; tom. 1. tractatu 6. capite 2. pag. 127. ita conqueratur: *Verum enim vero, quia omnia nova placent, liber ille* (Concordia Molinae) *novam ut videbatur, continens doctrinam a quam plurimis acceptatus fuit, et ejus dogmata amplexata, ita ut in communibus disputationibus, publicis que congressibus, immo, et in scholis nihil aliud audires, quam hanc Molinae doctrinam*. Si magnae gloriae habenda est pro Societate haec Pontificis concessio Successorum Pontificum re, ac factis confirmata; longe major gloria extinctae Societati videtur mihi accessisse, dum Clemens XIV. Iesuitarum doctrinam integram, inviolatamque illis reliquit. Qui locus magis idoneus, quod tempus magis praeclarum Clementi contingere potuit, et sui consulendi nominis, et Bullae suae deletricis firmandae, et Iesuitarum, et amicorum querelas comprimendi, et ipsorum vel minimas contra suam terribilem sententiam captiunculas praeoccupandi, et Societatis denique hostium votis se accomodandi, quam illud in quo suis Litteris Societatem extinxit? Quod blandius palpum obtrudere potuisset Summis Administris Lusitaniae, et Hispaniae Carvalho, Rodae etc. quam Scientiam mediam damnare ab istis Administris doctrinae Theologicae imperitissimis ab Hispania, et Lusitania illam exulare cogentibus, promulgatis per omnes Provincias minacibus decretis, ne quis Iesuitarum sententiam defenderet? Ex hac damnatione profecto, a Populo, Senatuque Romano, immo a toto orbe honores Clementi decreti fuissent, statua saltem aerea cum hac inscriptione praeclara: *Clementi XIV. ob restitutam Ecclesiae, deleta Societate, Catholicam*

de Divina gratia doctrinam . Caveant posthac Societatis hostes, qui plurimi etiam erunt, si eam resurgentem videant, calumniis, et conviciis doctrinam tot triumphis honestatam proscindere audeant. Pius VI. quem magis infortunia fortissime tolerata, quam gloriosa multa ejusdem gesta commendant, non solum aliqua nota doctrinam Societatis affecit, sed praeclaris etiam laudibus ornavit. Quos sibi voluit Pius VI. a rebus Theologicis consultores, quos *Theologos Paenitentiariae* vocant, nisi Iesuitas Scientia Media plene infartos? Vivente Pio VI. libri haud numero pauci ab extinctis Sociis typis editi sunt doctrinis de Scientia media fere redundantes. In his haud minime celebranda sunt volumina duo mei Sodalis, et Amici Ioachimi Cortes contra Clar. Gazzanigam. Pius vero VII. quem numeris omnibus absolutissimum Theologum auguste veneramur, quam longe sit a damnanda Societatis doctrina plane manifestum; tum ex summis beneficiis in extinctos Socios collatis, tum quia sapientissimus, et profundo ingenio Pontifex doctrinam Societatis exploratissimam habet, penitusque novit nulli eam Catholicae doctrinae repugnare, immo mirifice consentire, quapropter exemplum Pii VI. aemulatus, Theologum sibi sumpsit consiliarium e media Molinae schola.

Quid taces, me non nemo fortasse interpellabit, quid taces Iesuiticum illum Probabilismum, lutulentum malorum omnium fontem, morum corruptelam, inferorum Sobolem, sexcentisque aliis titulis execrandum? Sponte meditatus de Probabilismo tacui: (respondeo interpellatori ter, quaterque bono) quippe sententiam istam, numquam Societas sibi propriam habuit. Itaque sit, vir ter optime, quantum mavis scelerum omnium origo; faedis, quot velis, Probabilismum titulis exorna; nihili Societatis interest, quae numquam suos adegit Scriptores, ut Probabili-

smum doceant. Societatis Scriptores Rebellus, Comitolus, Blancus, Camargus, Elizalde, Gonzalez, Muniessa, Estrix, Schildere, Erentreich, Bonetus, Gisbertus, Simonet, Antoine, et alii Probabilismum fortissime oppugnarunt, et quorum subtilissimis argumentis se multum profecisse etiam Antiprobabilistae exteri ultro fatentur. Ita ne obstinato tu es animo, ut Probabilismum velis propriam esse Societatis sententiam, a qua Iesuitarum nemini discedere liceret? Ita sane. Sed ita erat, ut tibi non jam ter optimo, sed mendacissimo morem geram, Societatis propria, ut in eadem sententia defendenda innumeros aliorum Ordinum Scriptores sibi Socios, immo Auctores haberet. Quam pessimo loco res tua est, interpellator maligne. Praeclarissimus PP. Praedicatorum Ordo, dum gravioribus, clarioribusque Theologis floreret, totus fere fuit acerrimus Probabilismi defensor. Audi doctissimum Dominicanum Vincentium Ferre de Probabilismo a se propugnato recte gloriantem (tom. 2. tractatum Theolog. in 1. 2.) *Stant enim pro Nobis* (Probabilistis) *gloria Dominicanae Familiae in Soto: Bañez: Medina: Petro de Ledesma: Ioanne a S. Thoma: Serra: Alvarez: Candido etc.* Optimatibus istis obviam ibit misera Theologorum plebecula? Ipsa etiam ex eodem praeclarissimo Ordine comitia generalia habita Romae 1644. in quibus, quidquid est eruditionis, prudentiae, ac sanctitatis per orbis Universi Provincias distractum, collectum elucet, jusserunt illustri Theologo Ildephonso Baptistae, ut suos commentarios theologicos ederet, ubi Probabilismum docte defendit. Huic praecepto jam praeiverat aliud gravissimum Rev. Seraphini Cavalli ejusdem Ordinis Generalis Magistri injunctum Magistro Medinae celeberrimo Probabilismi Antesignano, ut suam Theologiam de moribus typo vulgaret Probabilismo superfluentem.

Erubescent ne Iesuitae in Probabilismo defenden-

do, quem fere omnino suum praeclarissimus S. Francisci Ordo fuit studiose complexus? Testem hujus effati locupletem adhibeo, ne mihi uni fidem liberaliter habeas. Agebatur Romae anno 1766. Beatificationis Causa Ven. Servi Dei Theophili a Curte, qui obiit an. 1740. Fidei Promotor Franciscanis Postulatoribus objiciebat Ven. Theophilum Probabilistam fuisse. Hi vero hac praeclara solutione se se ab adversario expedierunt: *Probabilistarum systema* (invitis adversariis)... *adhuc tamen a loco suo motum non est, illud defendentibus Theologis, et numero, et auctoritate praestantibus ... Nemo porro est qui ignoret ante annum* 1740. *probabilisticam pugnam vix fuisse exortam, toto autem antecedente tempore probabilismum ipsum alta pace fuisse gavisum; quapropter eidem probabilismo adhaeserunt, sicuti nunc quoque adhaerent omnes fere Franciscani Ordinis Scriptores, demptis duobus, quos sciamus, de Laurea, et Henno; caeteri enim omnes Probabilistas se produnt in operibus publicae luci donatis. Sic Rodriguez uterque, Portellus, Pontius, Mastrius, Anacletus, Felix Potestas, Sporerius, et novissime Pinatophilus, Elbel, et Lucius Ferrarius*. Crimini, dedecorique vertenda esset Societati Probabilismi sententia, *quae in Ecclesia communissima fuerit*? uti lamentatur doctus, et acer antiprobabilista Corbinianus Luydl in suis *Institutionibus Theologiae moralis Christianae, et Evangelicae* editis Campidonae 1771, quod *vel eo*, addit, *conjicere possis nullam fere Academiam, nullamque designari posse Scholam, in quam tunc, cum vigebat, non irrepserit*.

Quae cum vera sint, non sine dolore recordandum est, quod invalescente Iansenismo, et rebus Iesuiticis labantibus magna diminutio facta est de Probabilismi defensoribus, quos integris rebus plures, et clarissimos habebat. Sed ex istamet fortunae inclinatione amplius emicat gloria Societatis posthuma.

Cur doctrinam adeo perniciosam Societatis, uti volunt, propriam, non sibi, suoque commodo Clemens XIV. abripit, ut hoc validissimo praesidio (sicut antea de Scientia media diximus) sui contra Societatem decreti aequitatem communiat? Qua rogo, vi Clementi manus obriguit nequa Societatis extinctionem subscripsit, eadem Probabilismum vastaret, everteret? Omnino noverat declamationes, et conatus plurium Recentiorum sibi aequalium, et amicitia forte conjunctorum. Rationes omnes, momenta omnia, quae in suis Brevibus litteris de extinctione profert, quantum tu putas roboris habere, ut de extinctionis justitia, et aequitate persuadeamur in comparatione causae, si illam attulisset, perniciosae doctrinae Societatis propriae? Nullum. Cur ergo post extinctionem Ioannes Baptista Lascaris Guarini edidit Romae an. 1778. concedente Magistro Sacri Palatii Clar. Augustino Ricchini Ordinis Praedicatorum ornamento, *juris naturae, et gentium principia*, in quorum primo tomo Probabilismum defendit? Cur post extinctionem Gaspar Segovia novissimus Theologiae in Collegio Romano Professor media in urbe anno 1795. approbantibus viris doctissimis, et concedente Magistro Sacri Palatii Thoma Vincentio Pani splendido Dominicanae familiae lumine, edidit egregium illum librum contra nobilem Antiprobabilistam Gazzaniga Dominicanum pro Probabilismo adeo pernicioso, et diris omnibus devovendo? Hoc unum sufficere debebat Probabilismum respuentibus, si animo sincero sint, ut magis caute agerent cum infensissimis contra Probabilismum declamatoribus, quorum hostilis ardor non ad corrigendos hominum mores, tunc enim calumniatores esse desinerent, sed lacessendos Iesuitas spectabat. Qua in re magis confirmarentur, si animum adverterent ad ridiculissimas nugas, quibus declamatores isti mendaces sunt usi. Ecce, ne te morer, unum exemplum.

Larraga Dominicanus fuit, et Probabilismum docuit; fecit idem Valentinus a Matre Dei Carmelita Excalceatus, pariter Augustinianus Cliquet; sed cum horum Auctorum libri Episcopis Hispaniae probantibus, manibus omnium tererentur, qui sacris initiandi erant, maximoque usui forent confessiones sacras audientibus ob orationis perspicuitatem, optimum in scribendo ordinem, et opinionum prudentem, cautumque delectum, Probabilismum posteri ex his Auctoribus iam vita functis eraserunt, Probiliorismo sufiecto, quin (res profecto miranda) nihil de reliquis opinionibus immutarent: Quo quidem facto corruptores isti aperte confessi sunt Probabiliorismum cum laxis opinionibus, et probabilismum cum rigidis amice posse convenire. Simile corruptionis fatum operá nescio cujus fuit subire coactum Franciscani Sporer egregium opus, integris vero reliquis hujus clarissimi Scriptoris sententiis. Quae monstra quis non stupeat? histrionalem personam potius, quam virum Theologum referentia?

BASIS NONA.

AB INFELICI EXITU GALLIAE SENATUUM, CARVALHI etc.

Haud sine exemplo admonitus nonulla dicam de infelici exitu aliquorum, qui Societatem Iesu crudelissime vexarunt. Egregium libellum Lactantius scripsit de mortibus Persecutorum, in quo ira Dei vindicis in Ecclesiae suae persecutores palam ostenditur, et admonentur Posteri, si in pios, sanctosque viros saeviant, supplicia se paria passuros; praeterea non

mediocri solatio recreantur Christiani, dum Deum pro illis contra persecutores pugnare perpendunt. Ampla quidem res est, in qua tractanda effusis habenis calamus decurrere posset; sed cum persecutorum etiam infelicitas non gaudio, sed maerore potius Socios ipsos afficiat, suos quoque hostes summa felicitate frui vehementer optantes, perparce rem agam, ne videar mea magis voluptate, quam institututi a me sermonis necessitate, in aliorum calamitatibus gloriam posthumam Societatis collocare.

Senatus Regii Galliae (Parlamenta vulgo dicebantur) quot, quantasque gravissimas aerumnas Societati creaverint, qui vel peregrinus ignorat? Exilio Socios multaverunt, Societatis doctrinas homines profani, et imperiti confixerunt, et quod impium magis est, Institutum Societatis per tot Summos Pontifices encomiis summis approbatum sacrilegi damnarunt. Ubinam gentium Senatus istos potentissimos, qui Regum etiam suorum imperia detrectabant, ubinam, inquam, gentium illos invenies? Dissoluti fuerunt omnes, atque deleti.

Sebastianus Iosephus Carvalho, Marchio Pombalius, amarissimum Orbi universo nomen, Societatem, supra quam credi possit, omnium infortuniorum genere crudelissime perdidit. Regis optimi, sed non ita sagacis auctoritate abutens, mala omnia Iesuitis Lusitanis intulit, quae quisque leget in ejusdem vita a Francisco Gusta typis edita. Quid Lusitanis dixi? Societatem universam suis pessimis artibus, scriptis, vi, auro, et argento concussit; neque falsam rem mihi proferre videor, Hispanos Socios illum unum a patria depulisse, si verum est eodem auctore, typis fuisse datum infamem, mendacissimumque libellum, Iesuitis sceleratissime affictum in nostrum pium, optimumque Regem; de quo agit Murr. Verum iste furentissimus Iesuitarum hostis demortuo Optimo Rege, quem suis praestigiis fere sopitum reddiderat, a 20.

Iudicibus doctrina , et probitate clarissimis , quos Fidelissima Regina Lusitaniae constituit , capite fuit damnatus ; sed ejusdem Reginae benignitate , mitigata paena in perpetuum exilium fuit actus , in quo omnibus execrandus vitam nefandam amisit 8. Maii 1782.

Cardinalis Malvezzius , Bononiae , ubi tum ego degebam , etsi mitissimus hominum acerbissimas tamen turbas Sociis excitavit . Nescio quibus pollicitationibus illectus munus Visitatoris Apostolici contra Iesuitas suscepit , et hujus sacri muneris partes in Administrorum Regiorum arbitrium minus sancte detorsit . Tyrones Societatis vestibus violenter exuit ; nonnullos Socios , in his Senem Islam scriptis clarissimum in carcerem detrusit . Istorum factorum fructus fuit opulentissimum Datariae munus , quo Malvezzius adnitente , procuranteque Monnino fuit affectus , sed exiguo tempore haec opulentia constitit . Pius namque VI. aequissimus rerum aestimator a Dataria illum amovit ; ingloriusque nimis festinanter obiit Bononiae ipsa die D. Xaverio sacra , cujus argenteam statuam ad prophanos usus igne liquefecerat .

Iosephus Monnino , Comes de la Florida Blanca , homo ut lepide dicebat Legatus Anglicus ad Aulam Hispanicam , maximus in rebus minimis , et minimus in rebus maximis conficiendis , in abolenda Societate primas partes egit . Quibus vero artibus tantum opus ad finem infelicissime perduxerit , quid est cur referam , quae notissimae sunt Urbi , et Orbi . Illud tamen non tacebo , eum fuisse , qui commiserandum Clementem reluctantemque ad decernendam extinctionem Societatis vi , atque violenter coegerit . Notissimum quoque mihi est testimonio , quod ex ipsius ore excepi gravissimi , et solertissimi Viri Nicolai Bizzarri Episcopi Foroliviensis , quo cum iam pridem Clemens summam consuetudinem junxerat , Pontificem dum illi nunciaretur Monninum Palatium adire , ut negotia tractaret , terrore omni-

no concuti, pallore suffundi, et nonnumquam inclamare aditu prohiberi hominem, qui suae animae, honori, et famae jacturam suis iniquissimis postulatis parabat. Sed qui negari poterat Legato Regio Hispanico ad Principem multis iam antea laqueis irretitum aditus? Susceptae, atque perfectae extinctionis praemium Monninus cepit amplissimum: renuntiatus quippe fuit Summus Regis Catholici Administer, quo lauto et honoris, et opulentiae munere per aliquot annos toti Hispaniae praefuit supremus rerum omnium arbiter. Sed cum verum plerumque sit *Tolluntur in altum, ut lapsu graviori ruant* tam incredibilem hominis celsitatem casus gravissimus est consecutus. Omnino inscius, ac neutiquam odoratus tantae suae prosperitatis ruinam, repente jussu Caroli IV. summa integritate Regis a militibus comprehensus in arcem Pampilonensem arctissime custodiendus truditur, donec duobus transactis in vinculis annis ejusdem Regis insita clementia ad patriam Murciam eidem remeare licuit, a Matrito vero, et oppidis Regiis perpetuo exulanti.

Neque longe secundiori fortuna usus est Petrus Ximenez de Urrea, Comes de Aranda. Minime ex animo Societatis hostis, sed summa ambitione ardens, si non extinctionis, expulsionis vero Iesuitarum Hispanorum intrepidissimus Effector fuit. Homo militaris hanc sibi natam occasionem gavisus, credidit et recte quidem, hunc esse locum majorem prudentiam, majusque robur bellicum in debellandis Iesuitis manifestandi, quam in subigendis Lusitanis prius manifestaverat. Post hoc luculentum facinus, quo de Iesuitis gloriose triumphavit, bis cum dedecore ab Aula Matritensi fuit expulsus, exulque obiit inhonoratus.

Emmanuel Roda, carum Iansenistis caput, quibus arcto se faedere Romae totum tradiderat, eorum artibus fuit ad summum Gratiae, et Iustitiae quod vocant, Ministerium evectus. Ad simulationem omnino

comparatus, ne a suis Sociis Iansenistis in fallaciis extruendis discreparet, maxime omnium Optimo Regi fucum simulate fecit quadam ad speciem austeritate vitae, epularum apparatu, vestium, famulorum, rhedarum, equorumque fere tenuissimo, verborum parsimonia, et vili approbatione dictorum, factorumque omnium. Princeps hic Antesignanus fuit expulsionis Hispanicae, et manus suas porrexit Societatis destructionis auctoribus. Devexâ iam aetate conscientiae torminibus diu noctuque dilaceratus, in summam animi perturbationem, ac maerorem incidit: accersito ad se Theologo quodam ad Iansenii castra inclinante, ut hos mentis cruciatus mitigaret, crebro usque ad obibitum exclamabat, *Omnia perdidimus*. Recordabatur Roda tot malorum, quae in Societatem fecerat. Utinam confessio ista plus salutaris illi fuerit, quam Antiochi malorum confessio, quae in Ierusalem fecerat.

Quid demum, ut argumento adeo luctuoso finem ponam, de Clemente XIV. dicam? Tragicusne SS. Pontificis exitus apicem gloriae posthumae Societatis imponat? Numquam Summe Clemens XIV. fiet Societatem Iesu tuis, tuorumque Praedecessorum laudibus, et commodis perpetuo devotam inter glorias suas posthumas, detrimenta, quae maxima sustinuisti, posse recensere. Societatem profecto innocentem destruxisti; Sed quae, quantaque vis, qui, quanti que metus te ad hoc facinus suscipiendum adegere? Quot, quantique ut ita dicam, Cerberi crebris te assultibus urgebant, unam Societatis extinctionem latrantes? Non numquam illi mansuetiores ad speciem facti, melle te Beneventano, et Avenionensi lingebant, ut suis desideriis morem gereres. Quae si tu beneficia ab iisdem oblata contemnebas, ad naturalem eorum ferociam conversi, Principum, Regumque indignationem tibi subeundam minitabantur. Si indignatio ista Regum ab is-

tis Canibus perfide conficta nihil, aut parum commovere te illis videbatur, nescio quae consilia confingebant, quibus te de tui nominis fama metuentem redderent. Tot tantisque machinis petitus, repugnasti tamen fortiter; pluraque mente agitasti, ut istorum versipellium astutiis astutias alias (utinam unum Christum Crucifixum) opponeres. Probatissimam per te metipsum Societatis innocentiam habebas. Societatem summis encomiis saepe saepius exornaveras. Doctrinas Societatis contra Bajum, et Iansenium publice propugnaveras. Neque te grati animi officium oblivione delere patiebatur officia, quae Iesuitae ipsi apud Clementem XIII. praestiterunt pro te Sacra púrpura induendo. Qui ergo fieri poterat; ut pravorum hominum vota, nisi perquam repugnanter expleres? Hinc profectae sunt tot per te cunctationes interpositae, adeo ut iidem tanti sceleris patrandi Oratores causa cadere vehementer timerent. Quem certe de tuis interjectis moris timorem manifestarunt illi edito infelici libello inscripto *Riflessioni delle Corti Borboniche*, de quo, et de rebus aliis, quas in favorem Societatis ostendisti, iam prius dixi, dum te inter caeteros violatae famae restitutores recensui. Sempiterni illi terrores, qui te post extinctionem crudelissime excruciarunt, haud mediocriter confirmant, quos maximos luctus, quam summam maestitiam animo tuo infixisset decreti tui contra tuos olim amicos, ac benefactores acerbissima recordatio. Amarissimus iste maeror te evivis eripuit. Iste profecto maeror venenum fuit illud pestiferum, quod suis iniquissimis postulatis, vi, minisque firmatis Oratores nefandi tibi propinarunt, qui quamvis proprii sceleris conscii, eo tamen audaciae, ac mendacitatis devenere, ut nescio quoddam virus Iesuiticum confingerent; quod tamquam purum, putidum commentitium publico testimonio reprobarunt Cl. Medici Pontificii Natalis Saliceti, et Paschalis Adinolfi jussi ab

amplissimo Cardinalium Collegio hac de re ferre sententiam: sicuti etiam Cl. vir Aloysius Maria Marzoni Minister Generalis Ordinis Conventualium S. Francisci a Pio VI. legitime interrogatus. Obiisti Clemens: Utinam beatissimo Pontificum Choro te Pontifex aeternus Iesus, cui fuisti Vicarius, sine mora purgante inseruerit. Haec sunt extinctae Societatis vota.



BASIS DECIMA.

A LIBRIS CONTRA IESUITAS VULGATIS.

Ex ipsa infamia, qua Societatis hostes eam suis scriptis maculare contendunt, clarior in Societatem gloria redundat. Sive librorum auctores, sive eorum stylum, sive res in eisdem narratas attente contempleris, illico colliges hujusmodi libros gloriae posthumae Societatis decus summum addidisse. Auctores fere omnes haeretici, improbi, venalesque sunt. Stylus fere semper inverecundus, et a furiis infernis dictatus. Res portenta et mendacia sunt putidissima. Est quod mireris etiam primos contra Iesuitas libros germanos fratres esse reliquorum, qui adhuc typis eduntur. Easdem apud omnes leges calumnias, paria quoque maledicta. Eandem semper cantinelam insusurrant Iesuitas esse, si sermo de rebus theologicis habetur, Pelagianos: qui magis comites erga Iesuitas fuerunt, pro sua benignitate Semipelagianos solummodo esse contendunt. Si de moribus disputatur, sempiterno inclamant homines isti corruptissimi Iesuitas humani generis mores suo scelestissimo Probabilismo corrupis-

se. Taceo ritus Sinenses, Malabaricos, et id genus plurima, quin desinant, quod certe lepidissimum est, inculcare homines sacrorum Oraculorum irrisores, illas confictas Divae Hildegardis, et aliorum Vatum praedictiones, de quibus alio capite redibit sermo.

Non Politicos, non incredulos, non haereticos, sed veros Catholicos qui et Religioni conservandae, et propriae animae saluti in aeternum comparandae student, alloquor; Si Iesuitarum doctrina de gratia, si eorum Probabilismus tot malorum est origo, cur unquam Ecclesia has doctrinas non proscripsit? Cur eaedem media in Urbe post extinctam Societatem defenduntur? Haec una consideratio, quemcumque ex animo Catholicum in officio continere debet, ne a Calumniatorum in Societatem conviciis abripi se patiatur. Neque exigui momenti habenda est illa alia ratio; scilicet, quod omnes adversus Societatem libelli a Sede Apostolica, aut a Fidei Tribunalibus et Civilibus turpi nota sint proscripti. In istiusmodi libellis cum infamia reprimendis plurimum Iesuitae se se obstrictos esse fatentur praeclarissimo PP. Praedicatorum Ordini. Perplures mihi nominandi erant Secretarii, ut vocant Indicis, qui calumnias contra Iesuitas acri censura affecerunt; sed unum tantum Illustrissimum Dominicanum appellabo.

Is est Antonius de Sotomayor Generalis Inquisitionis Hispanicae Moderator, qui suo gravissimo decreto dato Matriti 30. Iunii 1634. flammis jussit publice tradi per Carnificis manus libellos contra Societatem editos. Litteras provinciales Paschalis, quem doctrinas Iesuitarum audacissimis mendaciis deturpantem Gabriel Daniel egregie castigavit, Alexander Papa VII, eodem quo primum editae fuerunt anno, turpi damnatione justissime affecit. Easdem Gallicus Provinciae Senatus decreto vulgato 1957. publice comburendas jussit. Et cum illae iterum editae fuissent an.

1660, et latine redditae cum adnotationibus Wendrochii, accuratissima recognitione praestita ab Episcopis, et Doctoribus a Rege Galliae deputatis, Iansenianae haeresis, et insignium contumeliarum in Pontificem, Regem, Episcopos, Iesuitas etc. fuerunt damnatae; itaque Senatus Regii consulto Carnificis manu publice fuerunt laceratae, et in ignem injectae eodem anno 1660.

Silentio praetereo veteres alios contra Iesuitas libros ex officinis maxime Lutheri, et Calvini pari infamia dedecoratos, et quos invicte confutarunt Iesuitae 40, tot saltem recenset egregios Societatis defensores Sotuellus ad an. 1676. Ad recentiora tempora devenio. Hac nostra aetate Supremus Nationis Hispanae Senatus (*Consejo de Castilla* vocant) severissime indixit, flammisque devovit *Rempublicam Paraquariae*: *Errores impios*: *Deductionem Chronologicam, et analyticam*: *Observationes ad supplicem libellum Patris Generalis*: *Appendicem ad observationes*, caeteramque farraginem conviciorum in Societatem. Eosdem quoque infames libellos severissima censura perstrinxit, et in homines cuidam Religioso Instituto addictos, hujusmodi miserrima dicta opuscula disseminantes graviter animadvertit Sacrum Inquisitionis Hispanicae Tribunal. De *deductione chronologica, et analytica* monitos vellem Lectores neutiquam illam scriptam fuisse a Doctore Iosepho de Siabra, viro ingenio, ac doctrina praestanti, licet Carvalhi metuens furorem coactus ille fuerit nomen suum dare libro mendaciis, et ineptiis onustissimo. Neutiquam mihi tacendum est de Fratre Norberto ex praeclarissimo PP. Cappuccinorum Ordine, qui multatus ob sua nefanda scelera ex tota India exilio, et a Sacro suo Ordine, ut insanabilis ejectus contra Iesuitas edidit stultissimum aeque ac mendacissimum opus *Monumenta historica*, quod S. Officium Romanum suo decreto 1. Aprilis 1745.

damnavit: et ipse Auctor, Roma exulatum abire jussus, vitam vagam prosecutus est variis personatus nominibus, ut *Avvas*: *Curel*: *Perisot*: *Platel*: De homine vitiis omnibus insigni ejusdem Superior Rm̃us Thomas de Poitiers egregiam descriptionem confecit, in qua illum vocat, hominem sine fide, sine probitate, insignem falsarium, calumniatorem impudentissimum, et temerarium utriusque Potestatis Sacrae, et prophanae contemptorem. En quo se milite Societatis hostes defendunt. Dignus est qui legatur elegans Auctor *Vitae Ven. Patris Emmanuelis Correa ... cum adjectis animadversionibus historicis*. In fano S. Martini 1789. In qua multa de Norberto noveris.

Pessimo Norberto socium, et assectatorem adjungo Auctorem Iansenianum operis mendacissimi inscripti *Extrait des assertions dangereuses, et pernicieuses en tout genre que les sois-disans Iesuites ont dans tous les tems, et perseverement soutenues etc.* Infelicissimus iste consarcinator ex Haereticorum sterquiliniis immunditias omnes everrit, ut aureum suae nequissimae mentis partum exornaret. Sed quid tanta procacitas? Doctissimi Iesuitae Galli impudentissimum faetum abegere egregiis voluminibus inscriptis *Reponse au livre intitulè Extraits des assertions etc.* editis an. 1763, quae continent partes 4, in quarum 1. evidenter ostenditur haeretici Ianseniani mendacitas in Nostris Auctoribus excribendis; in 2. pari evidentia demonstratur doctrinarum perversitas, quas idem Iansenianus docet. Improbi Calumniatoris mendacia probe novit, nullius Religionis Sectator Dalambertius, sed pari, qua Iansenianus impudentia cumulatus, ait: *Quid refert Assertionum librum onustum esse mendaciis, aut non: fructum, quem quaerebamus, attulit. Non sunt amplius Iesuitae*. Gloriosum fuit Iesuitis quod Ecclesia Gallicana praeter 3. Iansenianos Episcopos defensionem Societatis susceperit contra nefandum Aucto-

rem. Nonunus maxima auctoritate vir scribit Calumniatorem istum inverecundum fuisse Carolum Clemencet ex praeclarissima Congregatione Benedictina S. Mauri, Auctorem operis *L' art de verifier les dates* multa adhuc lima expoliendi, et a multis erroribus historicis, et chronologicis expurgandi, quos libenter Clemencetio ignoscimus. Sed quis se cohibere poterit, quin gravissime damnet incredibilem istius hominis audaciam in defendendis palam Iansenistis haereticis Portus Regii opere inscripto *La verite, et l'innocence victorieuse dell' erreur*. Coloniae (uti liberculus praefert) 1758: tom. 2. Neque cessans suam charis suis Iansenistis amicam operam praestare, typis etiam vulgavit *Histoire generale de Port-Royal* tomis 10, in qua magno contemptu suae Congregationis S. Mauri, quae in Comitiis generalibus Iansenismum severissime prohibuit; magno etiam contemptu Ecclesiae Gallicanae, immo universae Ecclesiae Catholicae, effusissimis laudibus haereticos Iansenianos audacissime cumulat. Quot et quam maxime severis reprehensionibus hanc sui Sodalis audaciam perstrinxisset doctissimus Iacobus Martini ex eadem S. Mauri congregatione, qui Iansenianos, et Quesnellianos vehementer increpat, et oppugnat in eruditissimo opere *Explications des plusieurs textes difficiles de l' Ecriture* quod Parisiis edidit 1730. Vide ejus praefationem et explicationem 11. a §. 3. pag. 475. Istius vero hominis insania nullam affert honoris jacturam Sanctissimo ac doctissimo Benedictorum Ordini, ex quo tot, tantique viri prodiere Ecclesiae Catholicae Romanae defensores impigri, et Societatis laudatores. Sat est meminisse Gregorii Claramontii, hodie meritissimi Pontificis Summi, Angeli Mariae Querini Cardinalis, et Martini Gerbert. Abbatis Principis de Silva Nigra. Eorum quisque et natalium splendore, vitae sanctitate, doctrinarum eruditione, et dignitatum amplitudine sexcentos Clemen-

cetios quam maxime superat. Reprehendendus hoc loco esset Iosephus Gorani, Auctor operis inscripti *Memoires secrets, et critiques des cours* edit. Parisiis 1793. qui in tomo 2. pag. 41. Synagogam Ultrajectinam tot Pontificis Romani judiciis confixam, illam tamquam summe Catholicam laudat, et Iesuitas scribit auctores esse Schismatis Ultrajectini. Fingit etiam pag. 59. nescio quam Confessionem Sacram ab Augusta Maria Theresia Austriaca de omnibus totius vitae erratis factam, quam Iesuita Kanphenhuller eidem Augustae à confessionibus sacrilegé contempto sacro arcano foras extulit. Sed cum ipse Goranius manifestam suorum dictorum mutationem pollicitus fuerit, ab amplius dicendo ipse etiam abstineo: eum tantum vehementer oro, quam primum promissum ex solvat, et suo honori, ac Religioni prospicere velit.

Cur ex me quaeret aliquis, pridie, ut ita dicam, Societatis expulsionem, et abolitionem libellis istis calumniosis totus Orbis tacentibus Tribunalibus, exundavit? Responsio est in medio posita. Haec taciturna Tribunalium inertia tribuenda est Regiis Administris, qui Societatis expulsionem, et abolitionem machinantes, vi minis, largis donorum effusionibus silentium imperabant, ut propositam Iesuitarum ruinam commode exequerentur. Expulsione vero perfecta per eosdem Administros Iesuitis Hispanis indictum gravissimâ poenâ fuit, ne defensiones pro eorum innocentia scriberent; indictum quoque fuit, ne contra Iesuitas scriberetur. Sed quam sincera fuisset ista altera prohibitio satis ostendunt tot libelli in Hispania contra Societatem editi, etiam media in urbe totius Regni principe. In his ante oculos habeo *Discurso de las enfermedades de la Compañia* edito Matriti 1768. typis Gabrielis Ramirez, editore N. N. qui pravum opusculum per summam injuriam Ioanni Marianae affictum, sua recenti dissertatione pejus effecit.

Hominem fame premente maledicum castigavi in epistolis Balearicis. Miserrimi Scripto es isti, qui vivos Iesuitas formidabant, dum Scriptis pugnaretur, de iisdem expulsis, extinctis, et silere coactis luculentissimum triumphum sibi gloriabantur referre; *Mortuo Leoni et lepores insultant*.

BASIS UNDECIMA.

A PRAEDICTIONIBUS DIVAE THERESIAE, ET ALIORUM DE SOCIETATIS DURATIONE AD MUNDI EXITUM.

Nihil insolens, neque veritati non consentaneum videor mihi proferre, si Societatem dixerim non omnino mortuam esse, sed puellam potius Evangelii dormientem imitari. In hujusce sententiae confirmationem adducere possem Coloniam Iesuitarum Rossiacam adhuc viventem; sed de hac iam verba feci. Venio tantum ad oracula, quibus duratio Societatis ad mundi exitum praedicta fuit, et a quibus gloria ejusdem posthuma firmatur amplius, quamvis illam omnino extinctam velis. Nam sicuti in corporis morte ejusdem venturus in vitam reditus nos vehementer consolatur; ita de Societate reviviscente sacra vaticinia summo solatio Iesuitis esse debent. Missas facio praedictiones Beati Ioachimi Abbatis, in quibus, uti plures docti viri censent et ortus, et propagatio, et duratio perpetua Societatis dilucide significatur. Verum cum alii viri docti aliis Ordinibus religiosis putent esse adscribendas, ideo a re aliquantulum invidiosa me contineo. Consule si mavis Nostrum Gomez in *Elogiis Societatis Iesu*. Mis-

sa quoque facio vaticinia, et argumenta quibus Lucas Fernandez de Ayala ex praeclarissimo PP. Praedicatorum ordine doctissimus Scriptor in Historia de vita, et morte Anti Christi confirmat discur. 12. Patres Dominicanos, et Iesuitas una in fine mundi contra Anti Christum strenue pugnaturos. Magnâ mihi diligentia uso nusquam haec Historia obvenit, quam laudat Renatus Balduinus (Ludovicus Losada) in *Aucupio Specioso* edito Leodii 1744. typis Viduae Nicol. Betsteintz; pag. 99. Praetereo quoque vaticinium Vener. Ioannae D' Alessandro, quod affert Noster Nicolaus Lancicius in tomo 2. opusculo 17, quia dictae Venerabilis Vitam non sum nactus adhuc.

Theresia illa Sanctissima Virgo, ac celeberrima Scriptor, et Ordinis Carmelitarum non calceatorum auctor gloriosa, illa est quae Societatis spem summopere confirmat. In Summa ejusdem Vitae edita Romae per Vitalem Mascardi 1647. in 4; quae extat in Bibliotheca Romana Principis Barberini hac inscriptione sermone italico *Compendio della Vita della Serafica Vergine S. Teresa di Giesu ... nuovamente raccolto da' manoscritti dell' Illmo, e Rmo Monsignore Alfonso Manzanedo Patriarca, di Gierusalemme, Decano della S. Rota, e Promotore della Canonizazione della Santa. Per opra del Sig. Filippo Lopezio Avvocato Romano, e Legatario della Libraria di detto Monsignor Patriarca etc.* Capite igitur 30, et pag. 230. dictae Summae legitur hoc Theresiae Vaticinium in Actorum Codicem pro ejusdem Canonizatione a S. Rota relatum: *Benchè le Religioni di Domenico, e d' Ignatio siino tra di loro per havere continovamente, dispareri; al fine del mondo uniti con vera carità hanno da disputare contro Antichristo*; quod sic latine interpretor: *Quamvis Ordines Dominici, et Ignatii assidue inter se ipsos contentiones suscepturi sunt, in fine mundi vera charitate conjuncti contra Antichristum decertabunt*. Altera post

Theresiam virgo quoque Sanctissima Marina de Escobar, de cujus Apotheosi agebatur Romae diligenter perpensis ejusdem Virginis praedictionibus, et nulla nota a Censoribus Romanis insignitis, in spem recuperandae vitae certissimam (si Societatem omnino extinctam velis) Iesuitas vocat . In libro 4. capite 17. tomi 1. vitae ejusd. Virginis scriptae a Venerabili Ludovico a Ponte, Conscientiae moderatore affert Marina testimonium Iesu Christi dicentis Societatem quae incredibilibus vexationibus affligebatur, non extirpandam, sed solum attenuandam esse, ut in ampliori se gloria proderet : (*No sera hundida*, *sino humillada para ser ensalzada*; *yaunque adelgace*, *nequebrarà*.) Cujus vaticinii veritatem clarissime ego video in Societatis conservatione apud Rossiacum Imperium. Multo quoque perspicua sunt vaticinia de Societatis duratione ad mundi exitum a Divo Dominico Vener. Marinae nuntiata, quae leguntur in libro 1. cap. 28. et 29. tomi secundi.

Sed suas quoque Politici, et Iesuitarum hostes praedictiones habent contra Societatem, me aliquis fortasse interpellabit. Hoc profecto aliquid monstri est; politicos nempe et impios suos etiam Vates habere. Memini me etiam a puero audivisse hanc de Societatis conditione vaticinationem: *Primo florebit*: *secundo regnabit*: *tertio peribit*; quam nescio cui maximo Vati de tribus Societatis saeculis vaticinanti tribuebant. Aliquam saltem gratiam isti Vati Iesuitae debent, qui primo saeculo eosdem florere praedixit. Qua vera ratione primam Oraculi partem ferant alii contra Societatem vaticinatores non dicam: siquidem vivente etiam S. Ignatio ejusdem Societas acerbissimis calumniis fuit afflicta, quas multi praecipuae haereticis toto primo Societatis saeculo obstinate continuarunt. Quod adeo verum est, ut Philippus Allegambe, qui Societatis Scriptores perduxit ad an. 1642,

qui fuit 2. supra 100. ab instituta Societate, recenseat iam 47. Iesuitas Societatis defensores contra Calvinistas Lutheranos, et alios, qui non erant adeo liberales, ut Societatem primo saeculo florere faterentur. Vates ergo isti furore sibi Numine affiati praedicebant futurum id quod ipsi vehementer cupiebant, et quod efficiendum vehementissime nitebantur. Machinis omnibus instructi ad evertendam Societatem, facile ejusdem ruinam vaticinabantur. Increduli, haeretici, maxime Iansenistae cum liberis structoribus (Franc-Massones vulgo appellantur), ac Politicis conspiratione facta, artes suas omnes, viresque adjunxerunt in suscepto opere perficiendo. Quid ergo mirum Iesuitis omni auxilio destitutis ruinam praedicere? Illud profecto norunt omnes D'Alembertium ruinae Societatis primas partes dare Philosophis (idest Sophistis incredulis) in opere gallico de Iesuitarum destructione. Iansenistae quoque juramento sancitam habebant Societatis destructionem, ut evidenter demonstat aureum opus *Le projet de Bourgfontaine*. Vaticinabantur ergo, quod exequebantur ipsi.

Obtruditur etiam ab haereticis, eorum tribulibus, et politicis quoddam confictum Vaticinium Beatae Hildegardis viventis an. 1148, de quo mentionem facit Bzovius tomo 15 ad annum 1415. num. 39. dicens circumferri hoc saeculo varias diversorum vaticinationes, quas complectitur volumen m s. hoc titulo *Manipulus Florum Thomae de Hibernia*, quod asservabatur in Conventu Dertusensi PP. Praedicatorum. In his vaticinationibus, ait Bzovius, erat illa Sanctae Hildegardis: *Insurgent gentes ... tenentes ordinem Mendicum sine devotione, et sine exemplo Martyrii ... venditores Indulgentiarum etc.* Hanc primus omnium, quem sciam, Iesuitis accommodavit Ioannes Wolfius Lutheranus in *Memorialibus* centuria 12, ann. 1180. Sed aeque ridicula, ac stulta est Wolfii accommodatio,

quam illa a Guilielmo de S. Amore maligne composita contra SS. Ordinem PP. Praedicatorum: quem Guilielmum invictissime debellat D. Thomas Angelicus Doctor. Quod ridiculum magis, magisque ineptum, ac stultum, quam dicere Iesuitas esse *sine exemplo Martyrii*, cum ipsa Ecclesia solemni ritu Martyres declaraverit Paulum Miki, Ioannem de Gotto, et Didacum Quisai Iapones e Societate Iesu? Praetereo Brasiliae Martyres cum eorum Duce Ven. Ignatio Aveveddo, Rodulphum Aquavivam, Andream Bobolam, Marcellum Mastrillium, Gundisalvum de Tapia. Sed quid moror in re luculenter manifesta? Adeas velim, Bibliothecam Scriptorum Societatis Iesu auctore Philippo Allegambe, in cujus fine extat Index Martyrum Societatis, qui ab inita Societate usque ad annum 1642, ab Ethnicis, Mahumedanis, et Haereticis, ob fidem occisi erant numero 277. primo Societatis saeculo. Huic magnificae Wolfii dementiae adde illam aliam haud minus luculentam Iesuitas esse *Venditores Indulgentiarum*. Numquam Iesuitae privilegium habuerunt Bullas ut dicunt Indulgentiarum distribuendi: curam vero, ut reliqui Ordines, habebant hortandi populos, ut Indulgentias adquirerent ad sua remittenda peccata. Qui, te quaeso, Iesuitis proventus veniebat, ex Bullis et Iubilaeis a SS. Pontificibus concessis? Nullus. Quo praecipitem duxit Wolfium virum alioquin eruditum in Iesuitas rabies! Livor idem, quo Lutheranum hominem, alios etiam de immundo Calvinitarum, et Iansenianorum grege gravissime corripuit, et occupavit; uti apertissime demonstrant Auctor *Theatri Iesuitici*, Auctor *Moralis Practicae*, et denique *Tubarum* Auctor: quorumque opera a Sacris, et Civilibus Tribunalibus fuerunt severissime proscripta. Isti enim minime contenti stulta accomodatione Lutherani Wolfii, majori stultitia eam exornare laborarunt, confingentes Ven. Hieronymum Baptistam de

Lanuza ex S. Praedicatorum Ordine Episcopum Barbastrensem, deinceps Albarracinensem tamquam verum habuisse dictum Vaticinium, et ut Iesuitis accommodatum commentariis illustrasse, qui asservabantur manu Lanuzae scripti in Conventu PP. Praedicatorum Caesaraugustano. Ita nominibus Illustribus convicia sua ineptissima tueri conantur. Utinam aliquando erubescere discant. Interrogatus Cl. Vir Pater Frater Martinus Lopez Conventus Caesaraugustani Prior testatus est nullum esse vestigium horum Commentariorum, neque aliena manu scriptorum. Qui ergo fieri poterat Ven. Lanuzam hos commentarios scripsisse, qui sui charissimi Magistri Divi Ludovici Beltran vestigiis inhaerens, Societatem maximi habuit, ut demonstratum est supra?

BASIS DUODECIMA.

A DETRIMENTIS ILLATIS SCIENTIIS, ARTIBUS, MORIBUS, AC RELIGIONI EX SOCIETATIS EXTINCTIONE.

Quem modum lacrimis faciam dum recolo ex luctuosissimis etiam rebus gloriam Societatis posthumam augeri? Quid luctuosum magis, quam immanis Scientiarum, morum, et Religionis jactura? O rem miserandam! Nunquam Societatis extinctio tam amaros fructus retulisset! Societas extincta libentissime respueret laudes quae ipsam sequuntur, ruinam nempe Societatis ruinam fuisse Reipublicae Christianae. Non Iesuitas, aequa Posteritas, sed Summos Administros accusa, et condemna, qui tot mala ob efferatam ra-

biem extinguendi Societatem intulerunt. Brevissimus ero in tam funesto argumento.

Cum Societas Iesu summum illum ardorem, quem in prima sua aetate concepit in erudienda juventute bonis artibus, honestisque moribus et in fovenda, et amplianda Religione, perpetuo retinuerit usque ad ejusdem extinctionem tot academiis, et collegiis erectis magno cum incremento scientiarum, et morum, tot excursionibus Apostolicis tam in Provinciis Catholicis, peccatoribus ad bonam frugem convertendis, quam in Regionibus Infidelium, incolis ad Christi fidem adducendis, ut evidentissime liquet ex testimoniis in 2. parte afferendis Summorum Pontificum, Regum, Episcoporum, necnon virorum omni doctrina illustrium; quisquis vel medioctri ingenio praeditus facile colligeret eversionem Societatis scientiis, moribus, ex Religioni maximum detrimentum allaturam, veluti Occidente Sole noctem quisque videt superventuram. Aliquis fortasse opponet multos Ordines Religiosos post extinctam Societatem iisdem ministeriis addictos praeclaros in Republica fructus edidisse. Per quam lubenter assentior, et si eosdem Ordines maxime debilitatos, fractosque video de quo capite sequenti. Sed nihil proficit disputator iste. Ex phalange quam velis fortissimam, quot illam multis, veteranisque militibus augeas, gloriosae tibi victoriae expectandae sunt; sed eadem si pluribus veteranis orbetur, non ita parata erit ad clarissimos triumphos reportandos. Sed quid ego putem silentio tenens, dicam quae alii Ornatissimi Viri sentiant.

Incipiam, ut aequum est, a Pontifice Maximo Pio VII. Scribens enim SS. Pater ad Nicolaum Paraquariensium Episcopum suis brevibus litteris Roma datis apud S. Mariam Majorem 3. Iduum Quintilis an. 1803. quarum est initium *Quum nulla sit Christiani gregis pars etc.* haec habet de populis Guaranicis Ie-

suitarum disciplina exercitatis: *Non enim dissimulandus, obtegendusque dolor est Nobis, qui animo haeret infixus de Ecclesia Indorum Guaranicorum istius regionis, quae innocentiae, omniumque virtutum laude quondam floreret apostolicorum virorum studio et industria a Benedicto etiam Papa XIV. Praedecessore nostro summopere commendata, ac velut exemplum caeteris ad imitandum proposita; quam nunc quidem jacere audimus, magnaque ex parte dilapsam. Hanc ut erigas, et restituas in pristinum statum, ac dignitatem contendendum tibi est*. Merito quidem Summus Pontifex deplorat ruinam Ecclesiae Paraquariensis; quippe Indi suis charissimis Rectoribus orbati in sylvas petentes religione Christiana vel deserta, aut saltem oblitterata, moribusque mutatis ad antiquae superstitionis vitia redierunt. Similis ruina deflenda est in reliquis Americae Meridionalis Provinciis. Quem ergo exitum habuerunt Brasiliani? quem Orinochenses? quem Maragnonici, Mussi, atque Ciquitti? Apostolicis Iesuitarum curis commendati? Quod si ad Americam Septemtrionalem te transferas, Californios lugebis, Sonorenses, Tarahumaras, et Cinaloenses populos aeque miseranda jactura perculsos. Quot gravissimorum malorum extitere Auctores, qui Societatem his gentibus ad Religionem, et bonos mores adducendis strenue laborantem oppresserunt!

Sed arcessiri juvat eos etiam, qui ad Pii VII. exemplum hanc summam calamitatem fletu prosequuntur. Eximius praeco Evangelicus Paulinus a S. Bartholomaeo ex praeclarissimo Carmelitarum Discalceatorum Ordine minime dubitavit grandiori voce intonare auscultante Roma *Suppressa Societate Iesu omnes fere illas Ecclesias* (Malabaricas) *Pastoribus viduas lugere, et Christianos sine certa lege, et lumine vagari*. (*India Orientalis Christiana* edita Romae 1794) Eadem sensa de ruina Ecclesiae Malabaricae explica-

vir celebris Dominus Perrin in opere *Voyage dans l'Indostan*. Neque minus certae sunt, et acerbae ruinae Bengalensis, Persicae, Tunchinensis, Cochinchinae, et Sinensis Ecclesiarum. Neutiquam dubitem Romam magnos triumphos extruxisse, et pompas solemnissimas apparasse, cum Iesuitae industria pene divina praestantissimum Sinarum Imperatorem Can-ghi permoverunt, ut per universum Imperium templa Deo vero aedificari permitteret, Sacram Christi fidem palam praedicari, potestate facta Sinis Religionem Christianam publice profitendi. Summae profecto laetitiae, summaeque voluptatis dies illi fuerunt Sanctae Romanae Ecclesiae: dies non dicam omnino pares, sed similes profecto multum Constantini diebus Christi legem per universum Imperium Romanum promulgari volentis. Quis vero crederet tanto gaudio, interjectis non multis annis, subiturum fore summum luctum, atque maerorem, omnino extincta Societate, quae tantam lucem orbi Catholico attulerat. Perquam plurimi, nisi ad unum omnes fatebuntur, detrimenta ista nimis certa fuisse in Graecia si velis, in Syria, in Aegypto, in India, ubi Expeditiones sacrae Iesuitarum summopere vigebant, tum Infidelibus ad religionem Christianam convertendis, tum in eadem Fidelibus retinendis.

Sed Europam dicent prorsus ab ista clade immunem. Neutiquam inficias ibo Europam non tanta clade fuisse affectam, quantam dictae Regiones acceperunt, quia et Religioni tuendae, et bonis moribus conservandis, et artibus, scientiisque excolendis presto sunt in Europa haud invalida subsidia, et quod animadvertendum est, ex his subsidiis plurima praestantur adhuc a Iesuitis extinctis, ut superius ostendi, et a Iesuitarum discipulis, qui una cum Magistris easdem segetes seminant, metunt, ac colligunt. Estne verum Europam deleta Societate nullam jacturam fe-

cisse? Respondeat Clerus Gallicanus Universus, respondeant Archiepiscopi et Episcopi. Conqueruntur omnes de Religionis fere exilio, de morum corruptione, et de scientiarum diminutione. Eandem querimoniam inculcant Viri clarissimi Princeps de Ligne, Pey, Rigoley, Bonet, et alii plurimi, quos laudabo in 2. parte. Imo Fridericus Borussorum Rex scribit se post extinctam Societatem *Iesuitas retinere, quia eorum exilium scholis omnibus ruinam esset importaturum*. Itaque ad dictam partem eruditos voco Lectores, hac una tantum cogitatione iisdem proposita de scientiis, et artibus, quas ipsi amant. Extincta Societate, exsiccatus est fons ille copiosus, ex quo effluxere praestantissimi Theologi Suarius, Bellarminus, Valentia, Vazquez, Molina, Gretserus, Becanus, Petavius etc. praeclarissimi Sacrorum librorum interpretes Maldonatus, Ribera, Cornelius, Tirinus, Sanchez, Menochius etc. etc. Illustrissimi Mathematici Clavius, Scheinerus, Sanvincentius, Casatus, Kircker, Scottus etc. etc. Insignes historici Mariana, Maffeius, Tursellinus, Daniel etc. etc. Oratores facundissimi Perpinianus, Bencius, Stephonius, Segnerius, Bourdalovius etc. etc. Poetae dulcissimi Sidronius, Wallius, Sarbievius, Giannettasius, Rapinius, Vanierus etc. etc.

Sed relinquamus istos veteranos in litteratura Proceres, eorumque proximos successores dignissimos: et de Nostra aetate perbrevis sermo instituatur. Rem plane facilem, et ante pedes, ut dicunt, positam bone Lector judicabis? reperiri in Theologis adversus errores dimicantes Pharas, Nogheras, Veithios, Goldhagenos, Nonnottos, Barruellios, Salazarios, Fellerios etc. etc. in Mathematicis Hellios, Boscovichios, Asclepios, Mayeros, Lechios, Ximenios etc. etc. in Philosophis Makos, Zallingerios, Statleros, Horvathios etc. etc. in Oratoribus Trentos, Veninios, Saracinellios, Neuvilleos, Lenfantios, Pellegrinios etc. etc.

in Poetis Bettinellios, Cordaras, Biondos, Savastanos etc. etc. in Criticis Berthieros, Tiraboschios, Arevalos, Zaccharias, Andreas, Odericos etc. etc. Res tuae in tuto sunt Lector optime, si tibi compertum sit, hujusmodi viros etiam deleta Societate, ubiubi reperiri. Te non impediam canentem *Felices gentes quibus haec nascuntur in hortis Numina doctrinae*. Sed de his pro lugubri argumenti squallore plusquam satis dixi.

BASIS DECIMATERTIA.

AB EXIGUO INCREMENTO ORDINUM RELIGIOSORUM POST EXTINCTAM SOCIETATEM.

In summis, quibus Societas premebatur angustiis, aliquid saltem levaminis cepisset, si suam post extinctionem Ordines superstites Religiosos amplius florere vidisset, majorique honore apud populos fungi, ut apud illos cumulatissimo fructu munia apostolica obirent. Sed res e contrario ceciderunt. Societatis extinctio, quae fortasse alicui viro nimis bono videbatur majus robur, viresque majores Ordinibus Religiosis allatura, ipsorum depressionem importavit. Cui ergo bono fuit Societatis extinctio? Non ita accurata consideratione opus erat, neque tanta requirebatur mentis perspicacia, ut fere oculis cerneretur Societatis extinctionem magna reliquis Societatibus Religiosis detrimenta excitaturam. Non palam manifesta fuerant Iansenianorum proposita de Ordinibus omnibus evertendis initio sumpto a Societate Iesu? ut egregie demonstrat Auctor insignis operis *La veritè du projet de Bourg Fontaine*. Borussiae Regis, Voltairi,

Dalamberti, et aliorum Sophistarum conatus contra Iesu Societatem tot erant gradus nefandis istis Sophistis, quibus ad extinctionem reliquorum Ordinum sine morâ pervenirent. Id ipsum ipsi suis in litteris, et libris crebro palam inculcabant. Procurator ille generalis Parlamenti Brittaniae Minoris scelestus ille Chalotais non sonora voce clamabat Religiosos Ordines tot esse Regnorum pestes, et ad illos evertendos necessariam esse Societatis eversionem? Qui ergo fieri poterat, ut pessimi homines isti, acerbi Christianae Religionis osores, expugnata Societate de retinendis, et augendis aliis Ordinibus cogitarent, qui populos in debita Deo, et Principibus obedientia continebant?

Querebatur Voltarius nimis lente in Gallia Religiosorum ruinam procedere; parumque laetus erat depopulatione 1500. Monasteriorum per Administros Ludovici XV, ac XVI. peracta. Si in vivis adhuc esset, quanta nunc voluptate perfunderetur, cum nullum in tota Gallia neque virorum, neque faeminarum Monasterium supersit. Rem posteris incredibilem, sed omnino veram! In Germania qua latissime patet, in Belgio, in Italia universa nulla fere remanent vestigia, praeter illos D. Francisci Instituto addictos, quos *Observantes* vocant, in Regno Neapolitano superstites. Et tu Roma Religiosorum Ordinum Sedes quot contines horum virorum Societates? Nullam. Tibi, Roma antiquitatum studiosissima conservatrix, et custos, opus esset vestes Monachorum, sicut alia vetustatis monumenta in Musaeis conservare, ut posses saltem dicere: *Haec facies Trojae, dum caperetur, erat*, nisi Iesuita Bonanni illas in iconibus aere incisis conservandas vulgavisset.

Hispani fortasse Ordines se post Iesuitarum Hispanorum expulsionem melius fuisse habitos gloriabuntur? ita profecto nonnulli vaticinabantur. Illos ad tantum vaticinium fortasse impellebat Edictum (Cedu-

la Real) datum 27. Martii 1767, quo jubetur decretum de Iesuitarum expulsione per omnes Indiarum Provincias executioni mandari. In hoc ergo edicto praescribitur Senatui Regio, ut Ordines Religiosos certiores reddat de Aulae in illos benevolentia ob eorum fidelitatem, doctrinam, vitae religiosae exempla, et negotiorum prophanorum declinationem, vitationemque diligentissimam. Ex quo justo, debitoque elogio quis non colligeret Ordinibus Religiosis plura fore tribuenda, quae propria fuerant Societatis, gymnasia puta, Iuvenum Seminaria etc. Sed suis divinationibus nimium Vates aberrarunt. Eodem enim anno 1767. vulgatum fuit edictum (Real Provision) die 5. Octob. quo jubetur Gynnasiis Grammaticae, ac Rhetoricae, quae Iesuitae tenebant, praeficiendos esse Praeceptores non Religiosos, quia *Religiosis* magis idoneos ad incrementum Scholarum augendum. Insequenti anno 1768. die 14. Augusti aliud edictum (Real Cedula) vulgatum fuit; quo haec duo caventur; unum *ne Seminariis Tridentinis Ordines Religiosi praesint ullo unquam tempore*: alterum, ut Academiae, et Universitates Iesuiticae *nullomodo a Regularibus quacumque ex causa*, sed a non Regularibus regantur. Hujusmodi lucra fuerunt, quae ex Societatis extinctione ad Ordines Religiosos redierunt.

FINIS PRIMAE PARTIS.

CORRECTIONES.

Pag. 4. *Societatem* . Pag. 5. *distribuendas* . Pag. 9. *Austriae* .. *Eum* .. *Ecclesiasticis* . Pag. 10. *Romana* .. *Iulius* .. Pag. 11. *Coloniensi* .... *Michaelem* . Pag. 15. *Provinciam* . Pag. 16. *Arbitrum* . Pag. 18. *Porque* . Pag. 21. *Leon* . Pag. 22. *Boscovich* . Pag. 33. *Sepultus* . Pag. 42. *Reversa* . Pag. 51. *Fulla* . Pag. 68. *Tursellinus* . Pag. 77. *actionem* . Pag. 86. *Societatem* . Pag. 96. *Extinctione* . Pag. 100. *Opinionibus* . Pag. 101. *VII*. Pag. 102. *forte* . Pag. 116. *mensis* . Pag. 118. *Dei* . Pag. 126. *instituti* . Pag. 139. *haeretici* .



Leves alios errores nullo negotio emendabit Lector; quem moneo opusculum hoc non paucis abhinc annis inchoatum ob temporum perversitatem longissimis spatiis interjectis fuisse absolutum. Unde si alicubi dicitur rem longe praeteritam gestam fuisse v.g. hoc decurrente anno, intelligendum est de anno quo ego scribebam. Monendus est etiam Lector Concionatoribus Sacris (pag. 18.) merito, et optimo jure adjungendum esse Ioannem Compañy, Hispanum hebraice, rabbiniceque doctissimum quem Emus Archiepiscopus Ferrariensis Cardinalis Mattei, salutis aeternae Hebraeorum vehementer studiosus Concionatorem eisdem constituit, ut eorum errores coram refelleret, et ad Religionem Christianam suscipiendam eorundem emolliret animos; quod munus Apostolicum Compañyus summa cum approbatione Cardinalis piissimi, bonisque plaudentibus plures annos naviter obivit.

